LOGI LOGI APOLOGETICI,

PRO LVTHERO DIABOLI DISCIPVLO,

ſcripti à

ROSTOCHIENSI RHETORE,

SECVNDVM AD GENER. ET ILLVST.
Hanovvienſem Comitem Legato:

reſcripti à

NICOLAO SERARIO SOCIETATIS IESV *Preſbytero, SS. Theolog. Doctore.*

Cum nouo Caluiniani Marpurgenſis Doctoris, *deoctiduano* CHRISTI *Domini carcere*, Paradoxo:

ad

SERENISS. CHRISTIANVM II. SAXONIAE Ducem, S. Rom. Imperi Electorem, & Archimareſchalcum, &c.

Biblioth. Soc. Coll. Rom. Jesu

16 09.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

MOGVNTIÆ, Typis Balthaſaris Lippij.

B.Cyrillus Alexandrinus præfatione in libros contra Iulianum Apoſtatam.

Leues, facileq́ mobiles in Diaboli laqueos citò incidunt: fiuntq́ dæmoniis dulcis eſca.

Apud Cæſarium lib.5.cap.20.

Heu, quod tot hæreſes hodie ſunt in Eccleſia! Hoc furor & malitia Diaboli effecit.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI AC
Domino, Domino

CHRISTIANO II.

SAXONIÆ ELECTORI, S.R.
IMPER. ARCHIMARESCHALCO,
Landtgrauio Thuringiæ, Marchioni
Miſniæ, Burgrauio Magde-
burgico, &c.

AD CELSITVDINEM TVAM reuenio, MAGNE IMPERI SEPTEMVIR, SAXONIÆ DVX PRÆPOTENS. Reueniendi autem eædem mihi, quæ & veniendi antea cauſæ, nouæque inſuper aliæ. Qui nim ab tranquilla veri diiudicatione celſam rectamque Celſ. T. mentem n vile ac indignũ meæ erga illã obſeruantiæ odiũ acclinare ac detorquere

A 2 *ſuis*

Apolog. c. 7. p. 141. *ſuis annititur Præfationibus Roſto-chienſis* Rhetor, *negat me, quos* CELSITVDINI TVÆ *iuſtos tribuo titulos, ex animo tribuere. At ex animo, animatiſsimè, libentiſſimeq; iſtos tribuo; & pari ratione maiores tribuere vt liceat, opto, voueo,* DEVMQ. *precor* OPT. MAX.

ib. p. 143. *Negat idẽ* Rhetor, AVGVSTVM *Celſ. T. auum Sereniſſimum fuiſſe hic Moguntiæ in Societatis noſtræ Collegium hoc beneuolẽtem ac munificum, quaſi coram Celſ. T. id mentiri auſus ſim. At mihi teſtes quotquot hoc in Collegio tum fuerunt, apud quos tantum tanti Principis beneficium manet mẽte repoſtum altiſſima: Teſtes quotquot hac in vrbe rerum id genus maiorum ac honeſtiorum ſuperſunt periti: Teſtes in nummaria* CELSITVDINIS TVÆ *camera, qui ad annum illum ſpectant, rationarij Codices, & ſi qui etiam-*

ımnum ſuperſtites; rationarij Magi-
ri, quæſtores, principaliūq; largitio-
um diribitores: noſtræ item annales *In a*
cceptorum Tabulæ, in quibus omnib. *die 14. Iulij.*
ım illuſtris, & heroico animo tam di-
næ viget viuax, ac vegeta laudis illi-
s memoria. Negat Rhetor, *eum à me* *p. 142.*
elſ. T. haberi honorē debuiſſe, vt meū
ı libellum inſcriberem, quia verbū in
ocietatem noſtrā paulo acerbius fuiſ-
t, annis ab hinc quatuor, eiuſdē CEL-
ITVDINIS *nomine vulgatū. At cùm* *Infr. c. 20.*
lia ſuo hic loco reſpondeo, tùm hoc v-
um iam; inſcitè illum facere, qui præ-
'arum illud Tullianum à cæteris Celſ. *1. de offic.*
'. magnis & inſignibus ornamentis
etrahat. Nihil laudabilius, nihil
ıagno & præclaro viro dignius
lıcabilitate atq; clementia. *De-*
iq;, quod res ipſa clamat, & VVittē-
ergici aſſeuerant Theologi: fateturı-

dem Rhetor, veram eſſe de Diaboli cum Luthero diſputatione nocturna & lõga hiſtoriam: eam tamen vllum negat Magiſterium, ſed meram ait ſolũmodo fuiſſe tentationem. At ego tẽtationem, eamque acrem & funeſtam concedo: ſed cui aſſenſerit, moremque in omnibus geſſerit Lutherus. cum deſperationis, quam poſt diſputationis totius deſcriptionem, quaſi poſt vetiti pomi eſum, ficus folium, ille arripuit, arripiuntque omnes illius excuſatores hodiè; nulla, neque quoad vocem, neq; quoad rem; intra totos diſputationis eiuſdem cancellos ac limites inueniatur mẽtio. Quod aliâs igitur, hoc & nunc iterum demiſſiſſimè oro, quæſoque PRINCEPS ILLVSTRISS. SEPTEMVIR SERENISSIME: *è plurimis grauiſſimiſque tot ac tantarum ditionum Tuarum negotijs, ſumat* CELSITVDO TVA *vacui tem-*

Fr. Balduin. in Hyperaſp. [illegible] Apolog. [illegible] in Theoſa. & Apol. Et videri poteſt lib. I. de Luth. Mag. c.3 p. 24. 25. 26. 27. Apol. c. 4. p. 35. & ſeq.

tempuſculi aliquid: expendat quæ hac in cauſa vtrimque dicuntur, non leuiter: ac tum, vti monuerunt olim Euripides, Menander, ſapienteſque alij; de re tota ſeriò ac ſapienter apud pacatum mentis ſuæ tribunal, coram Summo iudicet IVDICE: *ſimulque quid nouus in Marpurgenſi Academiâ pepererit nuper Caluiniſmus, aſpiciat ac deſpiciat. Moguntiæ, pridie S.* MARTINI CIↃ IↃ CVIII. *In l dis apud S. ob. ſer. 44.*

SERENISS. CELS. V.

deuotiſſimus

Nicolaus Serarius.

Vigilio Pontifici Arator in Actus Apoſtolorum.

CACODÆMONI LVTHERVS.

Te Duce Tiro legor: Te dogmata diſco Magiſtro.

LOGI

LOGI LOGI

CAPVT I.

De libelli huius inſcriptione, Scopo diuiſione.

CVM vel ſine re, vel ad rem, quæ agitur; ineptè dicūtur ab aliquo quæpiam, ſolent homines dicere: *Verba ſunt*: *Nugæ ſunt*: *ineptiæ ſunt*: Græci verò, & hos imitati Latinorum facile principes; *Logi, Logi*. Hoc autem de toto quē iteratò, ſuperiore Autumnali edidit Roſtochiēſis Rhetor, mercatu, *Theoſdoto Luthero*, eiuſque *Apologetico* dicere licet aptiſſimè, veriſſimè. Lutherum enim Diaboli (quod in quæſtionem veniebat) diſcipulum nō eſſe, nullo modo firmè ſolideque probat: & tam multa inepta, futilia, falſa, ſordida, maledica, contumelioſa, & illiterata infercit, infulcitq;, vt reuera, mitiſſimo vtatur vocabulo, qui *Logos Logos* Apologetico illi nomen dat. 1.

λόγοι, λόγοι. Demoſth. Cic. pro Gal. lio. Terent. Phorm. Plau. Sticho Perſa, Menæch.

Idque vt omnibus, qui paululùm attendere animum dignabūtur, clarè liqueat, efficiet, vti quidem ſpero; meus hic, quem *Apologiæ* ſeu Palilogiæ, Cuphologiæque illius oppono; libellus. cuius 2.

3. tres erunt particulæ. In *prima* monſtrabuntur argumẽtorum, quibus poſt Olſnicenſem Superintendentem, Wittenbergenſemq́; Doctorem, Luthero ne quod eſt; videatur Diaboli diſcipulus; patrocinari conatur Rhetor; ineptiæ, merique Logi. In *altera*, reſponſionũ eiuſdem ad ea, quibus in *remiſſo Theoſdoto* vſus eram; argumenta, ineptiæ pariter ac Logi: In *tertia*; alii è reſiduis aliqui vnum in aceruum colligentur Logi. ſic vt cum *Apologeticus* ille Logis ac Logis tot abundet; omnino tamen non ſecus quam Superintendentis Prior, Alogus cenſendus ſit.

CAPVT II.

De generali quodam Rhetoris argumentantis Logo.

LVtherum à cacodæmone, dum cum illo noctu diſputauit, doctum ac inſtitutum, ſeu, quod idem hac in re valet; perſuaſum, & ad ea, quæ propoſuit Satan ille, amplectenda inductũ fuiſſe, pluribus iam opuſculis, feci & quidem, Dei gratia & ope, apud eos, qui legerunt & expenderũt, planiſſimũ. Sed nõ fuiſſe, conatus eſt Rhetor probare argumẽtis octo,
p. 35. 36. quorũ quinq; prima ſe ait, *ex cauſa ipſa*, ſeu, *ex ipſius Lutheri diabolicq; diſputationis, quam adeo miſerè excarnificat Presbyter, viſceribꝰ.* depromptũrũ. reliqua verò tria *de aduerſarij domo* ſumpturũ:

Primo-

Primorum illorum quinque vis tota vno hoc 3.
aſtringitur ſyllogiſmo. 74.

Nullus grauiſſimus tentationis æſtus vllum docet ac inſtituit: ſeu perſuadet, ac ad Satanæ voluntatem faciendam inducit.

Sed diaboli cum Luthero diſputatio fuit grauiſſimus tentationis æſtus.

Ergo.

Iam videat Lector, quantus hac in argumẽtatione Logus, quę ineptię ſint. *Propoſitio* ſiquidem falſa eſt, & à nobis Catholicis negatur, *Aſſumptio* vera eſt, & à nobis conceditur. Rhetor vero propoſitionem illã omnino præterit; neque vel vno duntaxat conſtabilit argumentulo. Aſſumptionem vero, quę quia, perſpicua eſt, & vltrò datur, probationis haud eget; quinis illis ſuis firmare cõnititur argumentis. Qui Logi, ludique ſunt & ineptiæ, ſi hæ non ſunt? Omnium & ſingulorum argumẽtorum lemma & inſcriptio eſt: *Diſputationem Diaboli cum Luthero fuiſſe grauiſſimum tentationis æſtum.*

Omnia vnum hoc ingeminant: vnum concludunt, vnum clamant. At hoc profectò eſt ſyluæ ligna, mari aquam, Soli lucem fœnerari. Damus, lubenteſque annuimus, grauiſſimè tentatum à Diabolo Lutherum. nocturnam illam Satanæ diſputationem ardentiſſimas Luthero faces admonuiſſe: ſed hoc addimus, hoc vrgemus, tentationi eum ceſſiſſe: dogmata, quæ faces illæ monſtrabant, complexum

eſſe

eſſe omnia, quæ aut ſcripturis, aut ſophiſmatibus & ingentibus vociferationibus docuit ſuaſitque Satan, approbaſſe ac ſuſcepiſſe: omnia quæ dedocuit ac diſſuaſit, repudiaſſe ac exploſiſſe. Hoc, niſi nugas agere voluiſſet Rhetor, euertendum erat: huius contrarium erat probandum. nõ autem illud, quod negat nemo. quod fatentur omnes, tentatorem Luthero inſidias, incendiumq; ſtruxiſſe maximum. Aliud longe eſt à Satana tentari & ei non ſuccumbere: aliud tentari, & morem illi gerere. An *grauiſſimus tentationis æſtus non fuit*, quando in Iudæ cor miſit Diabolus, vt Dominum traderet? An *grauiſſimus tentationis æſtus non fuit*, quando dixit Heuæ ſerpens: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum?* An *grauiſſimus tentationis æſtus non fuit*, quando, qui *homicida erat ab initio*, tanta in fratrem inuidia & odio flagrare Cainum fecit, vt paricidalem innoxio fraternoque cruentaret dexteram ſanguine? At, vt innumerabiles, qui deinceps ſequuti ſunt, omittam alios; non ideo iſti grauiſſimi ſceleris exſortes, neque non à Satana edocti, & inſtincti, dementatique fuerunt. Quod enim fecit Lutherus, fecerunt & iſti, alio licet in genere. Tentationi ſuccubuerunt. Tentatori paruerunt. quod huius volebat & ſuggerebat tentatio, admiſerunt facinus. *Diſcedent*, inquit

Ioan. 13. 2.

Gen. 2. 5.

inquit Apoſtolus, *quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum.* Arrige hic, mi Rhetor, aures. De iis agit Apoſtolus, qui dæmoniorum diſcipuli ſint, quos erroribus doctrinisq́; falſis imbuerint ſpiritus nequam. An abſque tentatione in his factum hoc? Non pſa errorum, doctrinarumque falſarum propoſitio, commonſtratio, ac ſuaſio grauiſſimus fuit tentationis æſtus? Falſa igitur & pertinepta, quam ſumſit, præſumſitque, nullo autem vel minimo fulſit fulmento Rhetor, propoſitio. Tria enim nobis monſtrat Apoſtolus. I. Docent miſeros quoſdam mortales dęmonia. Et quidem docēt teterrimos contra ſacroſanctam fidem errores atque doctrinas. II. Hiſce doctoribus attendunt quidam, propoſitosq́; ab his & ſuaſos amplectantur errores. III. Sicque infelices hi diſcedunt à fide: apoſtatæ fiunt, hæreſiarchæ, funeſtiſſimorumque illorū, quæ à dæmonibus didicerunt, dogmatū Magiſtri & doctores. *Primum* tentatio eſt: dæmonisque doctoris magiſterium, doctio, & quaſi prælectio. *Secundum* eſt diſcipuli docilis, diligentis, & morigeri functio, diſciplina, & obedientia. *Tertium* eſt huius diſcipuli perfectio, & eorum quæ ab tartareo illo didicit magiſtro, praxis, omniumque cōſummatio. In *primo* ſulphureus ex imis gehennæ caminis homini à dæmone ignis proponitur. In *ſecundo* eſt ipſius hominis volūtarius ad ignem illum acceſſus, 1. Tim. 4. 1.

ſpon-

ſpontaneaq; in illum ſuiipſius iniectio. In *ter-tio* grauiſſima iam vſtulatio; fœdiſſimaque cõ-cremátio eſt. ita vt vna, in quam ærumnoſiſſimus non multo poſt, rapiatur homo, ſempiterna reſtet fornax. Tria hæc in Saturnino, Ebione, Manichæo, Tatiano, Patarenis, & aliis videre eſt, qui, prout à ſanctis memoriæ proditum Patribus, nuptias veluti malas dãnabant: vinum *fel principum tenebrarum* aiebãt: lac, oua, & quidquid è cæſo, mortuoq; animali eſſet, ex ſua ipſius natura immundum exiſtimabant: carnes *dæmonum eſſe facturam, non Dei creaturam, quam feculentiore mali materia operaretur diabolus*, affirmabãt: ideoq; *& nubere prohibebant, & à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione*, iubebant *abſtinere*. Quemadmodũ verò inter extrema vitia conſiſtit virtus, ſic & inter extremos errores, hæreſeſq; compugnãtiſſimas Catholica fides eamq; ob cauſam tria eadem illa, in illis etiam cernuntur Magiſtris, qui voluptarij, aſoti, Venerei ad nuptias ac libidines, omne hominum genus inuitarunt, ieiunia, cilicia, xerophagias, chamæunias, moleſtiaſq; corporis omnes exterminarũt, Nicolaitæ, Iouiniani, Aeriani, Adamitæ. ipſeq; tandem noſtri ſæculi Epicurus. qui ita docentem dæmonem attendit, vt nõ à fide modo diſceſſerit ipſe: ſed & aliis quamplurimis diſcedendi auctor atq; magiſter poſtea fuerit longe funeſtiſſimus. ita vt prorſus eũ nihil excuſet grauiſ-

ſimus

Iren. li. 1. c. 22.
Ignat. ep. 9. & 13.
Epiph. hæreſ. 28.
Chryſoſt. ho. 12. in 1. Tim.
Theodor. præfat. in lib. 2. fabul.
D. Auguſt. hæreſ. 46. li. 1. cont. Felic. c. 1. & 12. li. 30. cõ. Fauſt. c. 5. & 6.
Ioach. Abb. in Apoc. c. 9.
1. Tim. 4. 3.

Digitized by Google

ſimus tentationis æſtus, quo minus Diaboli, cui diſſerenti operã dedit, & in omnibus, quæ ab illo pręſcripta, dictataq; fuerunt, obſequutus eſt, diſcipulus ſit, & habeatur, dicatur, conſpuaturq; ab omnibus.

CAPVT III.

De logis in primo Rhetoris argumento pluribus, quoad diabolicæ diſputationis ſubiectum.

SANE quidem, qui ſuperioris ſyllogiſmi maiorem fractam, minoremq; conceſſam viderit, Lutherumq; tamen à Diaboli ſchola nequaquã vindicatum aſpexerit, Logos & ipſe mihi tribuet ſi ad quina ſingulatim Rhetoris argumenta velim deinceps aggredi. Iacent enim afflicta in illo proſtrataq; omnia. Quia tamẽ, vt ſimius catulos, magnoperè illa ſuſpicit ac deprędicat Rhetor, *inuicta & immota* nũcupat, valdeq; ad quiritandũ, ſi clara etiã, facilia, minimeq; neceſſaria prætermittãtur, pronus eſt; dabit mihi cãdidus veniam Lector, ſi, vt inſtituta de Diabolo Lutheri Magiſtro cõtrouerſia, & veritas cõſtitutiſſima ſit, & vt aduerſa eius ſui iuuãdi, ab erroreq; liberãdi habitã ſentiat rationẽ, nõnulla interdũ dixero. Primũ igitur Rhetoris argumẽtũ eſt huiuſmodi. 74

Diabolus cum Luthero in ipſius corde diſputauit.

Ea ergo diſputatio grauiſſimus fuit tẽtationis æſtus.

En Logi! I. Totum concedatur. quid inde?

Nam

Nam ſuperiore dictum capite, tentationi locum dediſſe Lutherum, diſputanti diabolo aſſenſum, & in omnibus obſequutum. II. Ad ſuam hanc concluſionem & ſequuturas alias vel addi vult Rhetor aliquid: verbi cauſa, *tantummodò*, ſeu, *non diaboli magiſterium, non Lutheri aſſenſio & obſecundatio*: vel nihil addi vult. Si vult, cur in ſuorum iſtorum lemmatiis argumentorum, in eorundem explicatione ac dilatatione, in toto vbi hæc tractat, capite quarto nunquam appoſuit? Si non vult, nihil ſane, quod ad rem ſit, concludit: nullum Luthero ſuo affert patrocinium. Tentatum enim, ſed non inuictum oſtendit. Velle tamen illum illa quæ dicebam addi & rei exigit neceſſitas, & ipſe aliis in capitibus ac locis poſtea, furtim

c.5.& 6.p. 74.115. quaſi & per tranſennam indicat. Quid enim faceret cauſæ peſſimæ patronus non optimus? Si illa diſertè adderet, videbat conſequentiam ſtatim negandam. Si nuſquam meminiſſet, præuaricatorem ſe qui patronum intelligebat potius. Semper enim illud manet, Lutherum ſeſe tentatori totum permiſiſſe. III. Negari etiam in antecedente poteſt, fuiſſe diabolicam hanc in Lutheri corde diſputationem. Latina enim diſputationis huius verſio, quam non Pontificius aliquis, ſed Lutheranus, & Lutheт

To. VVitt. 7. anno 1555. apud Thomam Klug. ro quidem perfamiliaris ac intimus edidit, & edidit, volente, iubente, approbante Luthero ipſo, Doctor Ionas, hanc, *in corde* particulam,

lam non habet, vt in Latinis Lutheri Tomis videre eſt, & in meo primo libro, *De Lutheri Magiſtro*, cap. 2. Extat eadem diſputatio per Lutheri aſſeclam quendam *Ioannem de Laſſus* Gallicè conuerſa, anno CIↃ IↃ XXXVII. & in hac, nulla item cordis mentio. Sic enim legitur: *Il eſt aduenu que vne fois, vers la minuict, me ſuis ſoudainement reſueille. Lhors Satan commencea cõtre moy à faire ceſte diſputation.* ita vt vel in Germanica editione prima cor nullum fuerit, ſed, Lutheri aliquo apud imperitos modo excuſandi cauſa, poſtmodum fuerit aſſutum, vel falſum id ex ipſo Luthero didicerit Interpres Ionas, ideoque omiſerit, vel certè alia quæpiã Rhetori comminiſcenda & edicẽda cauſa ſit.

IV. Eſto tamen, fuerit in Germanico primo Lutheri libro cor, & in corde diabolus diſputans, exinde profectò non colligitur, non fuiſſe iſtum illius Magiſtrum; neque illum iſti non ſuffragatum. Quod enim loquuntur in hominum corde ſpiritus boni, mali, non minus habet energiæ, quã quod in auribus homines. & quemadmodum noſtris in auribus ſuas collocanti Magiſtro voces auſcultare, ſic & ſpiritui ſua noſtris in cordibus ſenſa defigenti aſſentire poſſumus. An quibus dixit Dominus: *Vos ex patre Diabolo eſtis*, loquentem in corde Diabolum non audiebant, eique obediebant? Doces ipſe mi Rhetor, dæmones hominibus abſque ſono & voce per ſolas in illorum animis infi-

Ioan. 8. 44.
c. 3. p. 31. 37. 39.

xas notitias interdum loqui. & Logos tamen adeo deamas, vt ſcribas:

Diſputationem Diaboli cum Luthero fuiſſe gra-
p.36. *uiſſimum tētationis æſtum, probat primo ſub-*
iectum, quod in corde Lutheri fuerit habita.

37. V. At Hebraicè, Græceq; rhetoricaris, inter-
eſſe inter *loqui in corde*, & *loqui ad cor*. Hoc enim, *phraſi Hebræa idem eſſe, quod accommodare ſermonem ſuum ad animum alterius, & ad eius gratiam dicere ac facere omnia.* Mi homo, Hebraicéne cum Luthero diſputauit diabolus? Si Hebræa illa phraſis eſt. an ideo in Germanico & Latino eam ſeruari neceſſe? VI. Seruetur tamen & in Germanico, & in Latino, & in alio quocunque ſermone phraſis illa, nonne aduertis, bone Rhetor, tuo te laqueo capi? Diabolus enim ita ſuum ad Lutheri animum accommodauit ſermonem: ita ad eius gratiam dixit, & fecit omnia, vt quæ volebat, ei perſuaſerit: quę optabat, didicerit, crediderit, & pertinaciſſimè deinceps propagarit Lutherus. Non in huius igitur corde tantum, ſed & ad cor loquutus eſt diſputator Stygius. VII. Non pugnant hæc, ô Rhetor, *loqui in alterius corde*, & *loqui ad alterius cor*. Sæpenumero eadem ſunt. ſemper qui in corde loquitur, id ſpectat & agit, vt ad cor loquatur: eique quod vult, probet ac perſuadeat. Et quamuis id non ſemper ille aſſequitur, quia loquenti fidem non ſemper adhibet in cuius corde ſermo fit, ſed repugnat inter-

interdum, acriterq; reſiſtit: apud Lutherum tamen Satanæ felix ſuada fuit. illum in quodcunque voluit, duxit perfacilem, nihilque admodum renitentem. VIII. Neq; rurſum pugnant *in corde loqui*, & *in corporis auribus*. Poteſt vtrumque ſimul à ſpiritu fieri. quin & ab homine. ſed ab illo ita, vt vel momento eodem, immediatè, ſpiritali voce cor, & corporali aures feriat; vel momentis diuerſis & mediatè, vt, quod vnum naturaliter poteſt homo; ille primò corporis aures pellat, poſt has mediatè, per interiores animi ſenſus & organa, cor tandem ipſum. Loquutus ergo ſit Luthero diſſertator dæmon in illius corde, an idcirco ſonoris eum affari verbis non potuit? Cum in Emauntinorum diſcipulorũ auribus inſonuiſſet Dominus, ad intimas tamen animorũ medullas ſeſe huius penetraſſe orationem teſtantur, qui aiunt: *Nonne cor noſtrum ardẽs erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas*? Ita & veterator ille ſerpens, improbuſque Dei ſimius, ſpiritalem naturam & vim cum retineat; ſuis incendere verbis poteſt hominum corda, ipſumque adeo Lutherum incendit, dum ei loqueretur in lecto, & operiret ei ac deprauaret ſcripturas. IX. Vnde & ſequitur, duos adhuc inſignes hic Rhetoris Logos eſſe. Concludit enim diaboli diſputationem fuiſſe *tentationis aſtum: nullam autem à dæmone oculis Theoſdoti* (Lutheri) *ſpeciem, nullam auribus vocem*,

Luc.24.32.

40.

vt inter diſputantes fieri ſolet, illatam: ſed ſolis, tacitisq; animi Lutheri cogitationibus, tranſacta eſſe omnia. Nam 1. id, vt ex dictis patet, nō rectè infertur. 2. etiamſi inferretur, non concluderet tamen Rhetor ſimpliciter, quod concludendum erat, & quod quæritur; Lutherum ſcilicet à Diabolo inſtructum non fuiſſe: ſed concluderet ſolummodo, non eſſe inſtructum taliter & taliter. Quemadmodum eum qui à domeſtico præceptore in domus conclaui aliquo, ſummiſſa voce, ac ſine cathedra; inſtitutus fuiſſet, perperam ratiocinaretur quis nō fuiſſe illius diſcipulum, quia non in publica ſchola, clara voce, ſuperiori è ſubſellio, magna in iuuentutis frequentia edoctus fuiſſet. Videt igitur Lector: quàm logicum ſit primum hoc Rhetoris argumentum, in quo Logi tot. Ad alterum pergamus.

CAPVT IV.

In ſecundo Rhetoris argumento Logi quoadfinem ω.

p. 41. VIRI, ait Rhetor, *pij omnes grauiſſimos tentationis æſtus ſentiunt. Diaboli ergo cum Luthero diſputatio fuit grauiſſimus tentationis æſtus.* Si concluſioni nulla fieret additio, Logus ille hic eſſet, de quo ſupra cap. 2. Annueremus enim tentationis æſtum fuiſſe grauiſſimum. ſed quo vltro ac ſponte infelix deflagrarit Lutherus.

Duos

Duos tamen Logos ſubnoto alios. Vnus eſt, aſſumi à Rhetore hic, Lutherum virum fuiſſe pium. Quod negamus. O quantas hic Lutheri laudes ampullabitur Rhetor? Quot & quantos ſummæ ipſius pietatis teſtes ab inferis excitabit Melanchthonas, & Schurffios? Id enim infra iam facit cap. 7. Negamus tamen & pernegamus. Nam hi teſtes egēt ipſimet teſtibus. Lutheranam, vt Caluiniani aſſerunt, Lutheranorum plerique fatentur, decoxit fidem *Melanchthon*. Iuriſconſultus verò *Schurffius* ſolennem funerum formulam, aliquo cum encomio, vrbanitate politica, tenuit. Logus alter eſt, quod cum pios omnes grauiſſimo tentationis æſtu dicat affici, non aduertat, inde Luthero, licet cum Antonio, virum eum diceremus *piiſſimum*; nihil quo minus Diaboli cenſeatur diſcipulus; afferri opis. Summa enim præſtantes pietate ac ſanctimonia non paucos decepit aliquando importuniſſimus impoſtor. Non Dauides, non Salomones, non Nicolaos commemorare opus, quid, ſiue doctrinam & ingenium, ſiue probitatem ac famam, ſiue locum in Dei Eccleſia & dignitatem ſpectemus; obſecro eſt Lutherus ad Apollinarem, Photinum, Neſtorium? quid ad Luciferum, Origenem, Tertullianum? Et tamen qui grauiſſimus his fuit diabolicæ tentationis æſtus, idem eos ad nefarium ſacroſanctæ fidei, maiorumque religioni bellum inferendum

p. 144.

Neuſtad. cōtra ls. Cōcor. Colloq. Altemb.

Concio in ſupplicio Cancellarij Sax. Crellij.

Philip. 13.

Vinc. Lirin. c. 16.

23. 24.

miſerrimè inflammauit. Cum ergo Lutherum Catholicorũ, quæ ſua in diſſertatione oppugnauit Satan, dogmatum ne vnum quidem videamus poſtea retinuiſſe: ſed manus in omnibus & ſingulis illi dediſſe, quid grauiſſimus eum tentationis æſtus purgitat? An autem argumentum hoc à fine ꝰ ductum rectè dicat Rhetor, viderint qui Rameam ſequuntur ſectam.

CAPVT V.

In argumento Rhetoris tertio Logi quoad finem ꝰ.

p.46. D*Iabolus eum in finem pios tentat, vt eos decipiat. Eius igitur cũ Luthero diſputatio fuit grauiſſimus tentationis æſtus.* Si prçcisè, nullo addito, hæc ſumeretur concluſio, quod hinc eluendæ Lutheri è diabolico congreſſu fuligini balneum? Nullum ſanè. Sin addantur, quæ cap. 2. dicta; negatur ſanè conſecutio. Sed & in antecedente Logus eſt. Diabolus enim, qui eum in finem pios tentat, vt eos decipiat; decepit, vt ſuperiore monſtratum capite; quam par eſſet, plures. & de piis quidquid ſit, ipſum certè ſui in gymnaſij caſſes Lutherum attraxit, totumq; nouatum prauitate opinionum faſcinauit; & per eum, quod etiam ſpectauit dæmon; alios in Germania & alibi quamplurimos.

mos. Quia verò veritas, & iſtorum, quos per Lutherum ab rectiſſima pietatis via in hæreſeon auia pertraxit Satan, vtilitas mihi propoſita, facio non illibenter, vt ſi quid in aduerſario ſit, quod ad rem aliquo modo facere, viriumque vel tenuiſſimarum aliquid habere videatur, id neque reticeam, neque diſſimulem: ſed ſuis cum momentis proponam & expendam In hoc igitur ſecundo ſuo argumento videtur & in progreſſu, hoc ſiue aliud, ſiue idem aliter proponere.

Diabolus CHRISTVM *Dominum & Dauidem tentauit, & non vt eos doceret. Ergo & Lutherum tentauit etiam, ſed non vt eum doceret.* At primò 51.
iſta negatur conſequentia. Deinde ipſum etiam antecedens. Si enim tam facilem, mollemque in his quàm in Luthero ſulcum inueniſſet Satan, ſuorum iis ſemina zizaniorum commiſiſſet perlibenter. Optatius illi & antiquius fuiſſet nihil, quam vt CHRISTVM *Dominum* hoc in pſalmi verſiculo, *Angelis ſuis mandauit de te*, doceret ſenſum contineri hunc, ſi ſe vltro ac ſponte ſummo è pinnaculo, editiſſimoque templi faſtigio præcipitem daret pius quiſpiam, nihil omnino futurum periculi: affuturos extemplo Angelos, qui ſuis illum portent manibus, & ne minimum quidem pedis digitum lædi patiantur. Sed doctorem, ſcripturarumque Interpretem iſtum nequaquam audiit, neque

ab vllo vnquam audiendum re, facto, exemploque ſuo docuit longe optimo ac ſaluberrimo Dominus. Lutherus verò Dominum ſpreuit: Satanam doctorem maluit. huic aures animumque aduertit: huius pronunciata, ſcripturarum ſententias, & argumenta, quæcunque illi expectorare collibitum fuit; excepit, approbauit, effecta dedit omnia. Concluſionem tamen illam ſuam Rhetoricè hæc in ver-
51. ba nectit & dilatat Rhetor. *Ecquis adeo perfricta fronte fuerit, qui negauerit hoc fine à diabolo diſputationem iſtam in animo Lutheri, Iehoua ad Theoſdotum (*Lutherum*) probandum examinandumq́ id permittente, fuiſſe inſtitutam, vt tantum virum à Deo quidem, vt Euangelium* IESV CHRISTI, *ab inquinamentis humanis purgaret, excitatum, ſed adusque ſenſum aliquem veritatis, non* TOTAM VERITATEM *percipientem vel labefactaret ac frangeret, deque ſententia, propoſitoq́, quod regno ſuo, hoc eſt, Pontificio maxime obfuturum præſentiebat, deturbaret: vel certè vera falſis miſcendo ita illaquearet, vt in labyrinthum quendam conijceret, vt quo ſe verteret, plane ipſe ignoraret: vtq́ hoc modo in diuerſas partes actum tandem in deſperationis diſcrimen pertraheret.* Verboſè profecto iſta: ſed Logi omnia. Nam primò quàm aptè ac belle, atque vt cum Arnobio dicam; ſequaciter, iſta ex antecedente nectuntur? Deinde, quàm ridiculè ac pueriliter illud, quo de quæſtio eſt, ſumitur, *excitatum à Deo Lutherum.* Tertiò, quàm inſcitè

ac men-

ac mendaciter affirmatur, propoſitum dæmoni fuiſſe, *vt in deſperationis diſcrimen Lutherum pertraheret*, cum, vt alias probaui, planiſſimè, rurſumque infra hic tãgetur; nihil minus tum ſpectarit dæmon, neque vel ſemel, in tota ſua tam longa, vibranteque dialexi deſperationis mentionem habuerit. Quartò, quàm lepidè iucundeque aſſeueratur, diſputationis huius tempore, Lutherum habuiſſe *aliquem* tãtummodo *veritatis ſenſum*, nondum autem *totam percepiſſe veritatem*? Quando enim tandem percepit? & quantum iam tunc ſenſum habebat? Quintò, quàm ſtolidè ipſisque diſputationis verbis repugnanter effutitur, *hoc fine à diabolo diſputationem iſtam in animo Lutheri fuiſſe inſtitutam, vt eum de ſententia, propoſitoq́, quod Pontificio regno maximè obfuturum præſentiebat, deturbaret*? Tota enim huc tẽdit & maximo quidem impetu fertur diſputantis dæmonis oratio, vt Lutherum eam in ſententiam ac propoſitum deducat, quod Pontificio vel maxime obeſſet regno: in eaque ſententia & propoſito illum confirmet profundetque pertinaciſſimè, profundiſſimè. In *Iehoua* Logum etiam notaret, cuiuſcunque tandem ſectæ ſit, certè non Catholicus, Ioannes Druſius, & in aliis alii. ſed quibus excuſationis minus, ſuperſunt Logi nimis quam multi.

Caput VI.

In Rhetoris argumento quarto Logi quoad diabolicæ diſputationis formam.

p.52.

In *qua diſputatione tria tentationi aptiſſima inueniuntur,* locus nimirum ſolitarius tempus nocturnum, & modus efficaciſſimus; *ea eſt tẽtationis æſtus grauiſſimus. Sed in Diaboli cum Luthero diſputatione tria hæc inueniuntur. Ea igitur tentationis æſtus eſt grauiſſimus.* Nihil nego, ſed vt ſæpe dictum, nihil à Luthero Diabolici Magiſterij hæc aufert complexio. Laudat enim ea quidem Tentatoris in diſputatione aggredienda, vrgenda, & conſummanda calliditatem, ſolertiam, vim, & acrimoniam: ſed egregie ſimul vituperat Lutheri, ad quem ille acceſſit Tentator; ſtuporem ignauiam, improbitatem. quod vel iſta ignorarit, vel ab iis ſibi non cauerit, vel denique ſciens ac prudens in illius ſeſe diſciplinam dederit, ab eo priſcam dedoceri religionem, nouam inuſitatamq́ue doceri voluerit: ſic vt ad omnia Diaboli placita re ipſa *Etiam* dixerit, nullum negarit ac refutarit. Ita igitur pro Luthero argumentari, an non cum Paraſito illo clamare eſt:

Logos ridiculos vendo, agite, licemini.

60. Iam verò illa, quæ mihi hoc in argumento

tribuit

tribuit argumenta, quanti Logi, quàm germanæ gerræ ſunt? *Ita*, inquit, *argumentatur* Ieſuita. *Inter Lutheranos & Papiſtas nulla eſt de picturis Biblicis diſſenſio. Ergo verum eſt, quod aſſerimus nos, Lutheri Magiſtrum eſſe Diabolum.* Item *Vox Diaboli fuit robuſta. Ergo in ſententiam Diaboli pertractus eſt Lutherus.* Dic bona fide, Rhetor, vbi vſquam meæ iſtæ concluſiones? Mihi quidem verba tua tot, & nugæ, conuicia & calumniæ, ineptiæ perpetuæ, frequentiſſimæque crambæ moleſtiam creant non paruam. quidquid tamen ex omnibus exſculpere poſſum roboris ac ſucci, hoc verò in enthymema vel ſyllogiſmum tuis fere verbis, fideliter ac ſyncere coniicio. Et tu tam malo mecum agis ingenio? ea me ais dicere, quæ nec per ſomnium vllus dixerit? Picturas enim, & Diaboli ex Luthero ipſo expictam vocem affero quidem, ſed vel vt concludam, poſſe hanc etiam pingi diſputationem, vel, ſeriam iſtam fuiſſe, ab ipſoque Luthero deſcriptam ſeriò. Veritati diffidit, qui malitioſis ad victoriam dolis graſſatur.

CAPVT VII.

In Rhetoris argumento quinto Logi, quoad Lutheri diabolicam diſputationem narrantis ordinem & ſcopum.

Lvthero in ſuo de Miſſa angulari libro, vbi *p. 68.*
Diabo-

Diaboli diſputationem ſecum habitam narrat, *non eſt hic vel ordo vel ſcopus, vt velit narrare ſe Diaboli diſcipulũ eſſe. Fuit igitur illa diſputatio grauiſsimus tentationis æſtus.* A Logis abſtinere non poteſt Rhetor. Nam ecce totum iſtud do. & tamen an in Dæmonis ludo propterea non fuit Lutherus? an ideo ſe facilem illi obſequioſumque non præbuit diſcipulum? Nunc & de ſcopo audi Rhetor. Per vinum iactat aliquando improbus aliquis ſuum aliquod facinus, cuius luenda poſtmodum pœna capite. In quæſtionibus & equuleis vnum aliquando fatetur crimen latro, ſed ita vt ex vnius illius narratione alia & plura & maiora non imprudens colligat Iudex. Legatus quiſpiam aliquo in epulo hilarior ea interdum effutit, quæ ipſius, à quo mittitur, Principis vtilitati obſint plurimum, ipſi etiam legato dedecoris & infamiæ labem, imò & extremum aut periculũ, aut perniciem afferant. An iſte his ſcopus, vt capite mulctentur, in rotas agantur, Dominis ſuis noceant, dedecus & infamiam, ipſamque ſibiipſis mortem concilient? Ille, qui mnam vnam à nobili Domino acceperat, & ſe ſuum in ſudarium illam condidiſſe narrabat, ea certè vna, reducis Domini iuſſu poſt, cum probro & ignominia, ſpoliatus fuit: An cum illud narraret, ſuam hanc ſpoliationem & damnum ſpectabat? An in ſuiipſius dedecoris ac detrimenti ſcopum intuebatur? Imò præclara ſeſe

Luc. 19.

nullius

nullius facti lucri excuſatione vti putabat: ſuamque ſibi videbatur magnam de Domini rebus curam ac ſolicitudinem, inſignem de illius induſtria opinionem. & erga illum obſeruantiam expromere. Audiuit tamen, *De ore tuo te iudico ſerue nequam. Auferte ab illo mnam.* Sic & Lutherus plures quidem annos ſuum hoc arcanum celauit, ſuoque in pectore occultum retinuit. Poſtea verò ſuccreſcentis doctrinæ ſuæ ſucceſſu ebrius, hominum fauore, aſſeclarum ſtudiis, & vulgi omnia quæ ab illo eſſent, iam non expendentis, ſed velut ſacra & diuina putãtis opinione totus iam hilaris, ſecurus ac præfidens nocturnũ iſtum ſuum cum Diabolo congreſſum edito de angulari Miſſa libro patefecit. non eo quidem animo & ſcopo, vt ſe illius diſcipulum, ſuamque doctrinã haberi vellet diabolicam. quin vero potius, vt Catholicos oppugnaret, monſtraretq; veterem religionem optimis & inuictiſſimis à ſe arietibus quaſſari. vtpote quos ab acutiſſimo acerrimoque diſputatore Diabolo accepiſſet: neq; iis ipſe, licet initio conatus eſſet, potuiſſet reſiſtere: ſed, ob inſignem eorum vim ac veritatem, iis cedere, ab iis de priſtina ſententia deiici, de auita, circa ſacroſanctum altaris Sacramentum, Miſſæ ſacrificium, iuſtificationis, bonorumq; operum ſanctitatem, preces pro defunctis, aliaque id genus Catholica complura, mente deturbari debuiſſet. Interim dum

Lu. 19. 22.

dum ſie & ſeipſum, & doctrinam ſuam laudare, in ſcopumque iam indicatum collineare vult, fecit diuina bonitas, noſtri miſerta, omniumque ad hominem iſtum deteſtandum excitans prudentiam, vt illi exciderit hoc de Diabolo verbum: diſerteque, copioſè, ac planè illo in libro foras extulerit, enunciarit, ac perſcripſerit, quæ, quando, & quomodo ab illo audiiſſet, omniaque ipſe quæ ab illo eſſent oppugnata, deinceps repudiaſſet atque conculcaſſet, quæ commendata. & laudata recepiſſet atque comprobaſſet. Quid huic igitur Luthero patrocinantur Rhetoris de ordine ac ſcopo Logi? An non veriſſimè, iuſtiſſimè, Chriſtianiſſimeque abſque vllo vel in ipſum, vel in alium quemquam conuicio, illud ei cū

Luc.19.22.

Saluatore Domino noſtro dicat quilibet: *De ore tuo te iudico, ſerue nequam?* Iudicant ſanè Lutherani Zwinglium ex ore ſuo, Diaboli eſſe diſcipulum, quia ſe de verborum iſtorum, *Hoc eſt corpus meum*, ſenſu à quodam noctu monitum dixit, quem neſciret ater an albus fuiſſet. Cur de Luthero ex ipſius etiam ore idem ferre iudicium non liceat, non oporteat? An forte breuiùs habitos à ſe ac dæmone vltro citroque ſermones ipſe narrauit Lutherus quàm Zwinglius? Imò ſanè, multo multo copioſiùs, plures per paginas ac folia. An fortè tectiùs & obſcuriùs ſuum idem Lutherus Magiſtrum indicauit eſſe Diabolum, quàm Zwinglius?

Schmidl. Schluſſelb. Vide orat. de Caluini Magiſtro p. 65. 66. 67. li. Subſ. de Euchar.

glius? Imò ſanè, multo multo apertiùs, per manifeſtiſſimam eius deſcriptionem ac delineationem. Vocauit ſuum illum Magiſtrum Zwinglius *monitorem*, & de quo *ater fuerit an albus*, nihil meminiſſet. Lutherus verò planiſſimè ſuum ſcribit atrum fuiſſe. ipſum, inquam, ſuo cum nomine Diabolum, eiuſque vocem & diſputandi modum in omnium conſtituit oculis. Sed alius fortè Zwinglio ſcopus fuit. Voluit manifeſtè cognoſci Cacodæmonis diſcipulus. Nihil minus.

Qui homo culpam admiſit in ſe, nullus eſt tam paruiprecij: Plau.

Quin pudeat, quin purget ſeſe.

Voluit, vti & Lutherus, alia omnia. ſed vtrumque, vt ab vtroque duarum præcipuarum, noſtro iſto ſæculo, noſtra in Germania, ſectarum architecto & coryphæo caueremus; diuina quædam vis nocturnos illos Diaboli cōgreſſus, latentiſſimaque myſteria prodere, fateri, Germanicis Latiniſque ſermonibus ac libris peruulgare impulit. Vide remiſſi Theoſdori caput 13. neq; eſto tam aut hebes, aut imprudens ſalutiſque propriæ incurioſus quiſquam vt ſe à Lutheri videndo præceptore abſtrahi, Rhetoriſque Logis, velut coniectis in oculos puluiſculis, impediri patiatur. Sequuntur iam alia tria, quæ mea è domo ſe ait ille ſumere argumenta.

CAP.

CAPVT VIII.

Sextum Rhetoris argumentum Logus merus, de Ieſuitæ confeſſione, malitia & peruerſitate.

74. Colloquium, ait Rhetor, *Diaboli cum Luthero non fuiſſe magiſterium, probat primò Ieſuitæ confeſſio, & in mendaciis fouendis malitia ac peruerſitas.* Logus merus. Cur enim ne vnum quidem confeſſionis meæ verbulum profert? Cur ne vnum quidem mendaciolum oſtendit? Hoc aio, hoc palam dico & profiteor, me in tota iſta de Lutherico pædagogo quæſtione, ſcientem ac prudentem, nullius omnino rei aut reculæ maximæ aut minimæ falſidicum adhuc fuiſſe, vel deinceps, diuina cum ſummæ Veritatis ope, futurum. Quod ſi, Rhetor, totam ipſam quæſtionis huius explicationem & probationem, in eaque diligentiam ac ſtudium aliquod mendacia vocat, & confeſſionem, malitiam, ac peruerſitatem meam, quid niſi gerræ germaniſſimæ?

CAPVT IX.

In ſeptimo Rhetoris argumento Logi de Ieſuitæ lubricitate, inconſtantia, vanitate.

c. 5. p. 76. *Colloquium Diaboli cum Luthero non fuiſſe Magiſterium, probat ſecundò Ieſuita in aſſerendo*

rendo illo lubricitas,inconſtantia, & vanitas. Non vult iam Rhetor L●gos fundere.Probationes nunc adhibet.*Primò*,ait,*dubitat Ieſuita,num verum aut falſum ſcripſerit Lutherus.*Mi Rhetor,nō dubitat Ieſuita,ſed dilemmate vtitur,vt vobis Lutheranis vtrumlibet dicendi optio ſit. quã faceret etiamnũ adhuc,niſi & tuipſe,& Wittembergenſis Doctor, Olſnicenſisque antea Superintendens fateremini, de tota iſta Diaboli diſputatione verum ab illo ſcriptum. *Ita tamen dubitat Ieſuita*, vt ſæpiſſime alibi mentitum Lutherum,hic autem vera locutum aſſerat Aſſerit vel potius aſſeuerat. *Quid oratione iſta tua, Serari,inconſtantius? quid magis lubricum? quid abſurdius? alibi mentitum eſſe Lutherum, hic autem vanum non eſſe?* Non eſt ô Rhetor, incōſtans,lubricum,abſurdum affirmare, mentiri aliquem plurima, veri tamen aliquid interdũ dicere.Ipſemet Lutheri Magiſter,qui *in veritate non ſtetit, in quo veritas non eſt, qui mendax eſt, & mendacij pater*, veritatem aliquādo aliquam loquitur,vt tu alibi fateris ipſus.ideoque &de illo tam diſtinctè Dominus:*Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, quaſi veritatem loquatur interdum, ſed non ex propriis. Pergit Rhetor.*Cur,qui in tuis calculandis,ſupputandisque adeo es ſollicitus, vt omnes fere Arithmeticos vincas, non aßignas locum,libros paginas,verſus,vbi iſtud alibi* (mentitum Lutherum)*ſit inueniendum?* Dicam. quia dinumerare arenam nemo homo, etiam-

77. (beside "nunc adhibet")

Ioan.8.44. (beside "dicere.Ipſemet")

p.52. (beside "loquitur,vt tu alibi")

77. (beside "Rhetor.Cur")

etiamſi Arithmeticorarum, qui de numeratione hac librum ſcripſit, Archimedem vincat, poteſt. Ne nimiam tamen hanc hyperbo-
Cocl. in an. 1523. lem exiſtimes, te ad *Murnerum Thomam* illum ablego, qui ex Lutheri vno in Angliæ Regem libro mendacia collegit quinquaginta, ipſūq; quinquageſimū, omniū veluti Regē; coronâ
ibid. inſigniuit. ad Moguntinū etiā *Dietembergiū*, qui alia eiuſdē mendacia ɪↄ CCCLXXIV. digeſſit. *Mentitus ne tibi eſt Lutherus, cū ſcripſit, hominē iuſtificari gratis?* Annuere poſſem, nō ſi verba, quæ D. Pauli ſunt, ſed ſi Lutherică interpretationē
in Theoſ. & Apol. ſpectemus. At neq; de hoc neq; de aliis, quę ſic uti & Olſnic. Superintēdens; identidē inculcas, dogmatibus, iſta in controuerſia, litigare animus eſt. Ad alia diuerteretis omnia, & id, quod item agitur, *Sitne reuera Lutheri Magiſter diabolus*, vel omitteretis omnino, vel, vti iam conamini; rerum aliarum ingeſtu ac mole obrueretis: minimùm, occuleretis, ab hominūq; minus attentorum ocul:s ſubduceretis. Vnum ego nunc venor leporem. Ideoq; & in Logorū ra-
78. tiones referendū, quod vniuersè adiūgis: *Quis poterit dari in vllo Apoſtolicæ Catholicæ fidei articulo vel apex, de qua Lutherus plenè illuminatus dixerit, ſtatueritq́, quod idem ante ipſum non dixerint, ſtatuerintq́, Moſes, Prophetæ, Pſalmi, Euāgeliſtæ, Apoſtoli*, CHRISTVS *ipſe. Hi tibi omnes mentiuntur Serari.* Abſit. Vnus ex hiſce omnibus, & ſolus mihi mendax eſt Lutherus, indigniſſimus, qui

quod

quod à Diabolo peraudiit, poſt Moyſen, Prophetas, Apoſtolos, Christvm ipſum dixiſſe ac ſtatuiſſe dicatur. Sed parum in Rhetore rationis, Logi autem & Alogię plurimũ videtur, cum ait; *de quo Lutherus plenè illuminatus dixerit.* Nã de plenilunio iſto priùs definiat oportet, qua tandem hora, die, hebdomade, menſe, vel ſaltem anno contigerit. Alioqui ſemper excipere licebit, nondum *plenè illuminatum* illũ fuiſſe. Quanquã & poſteaquã plenè ſemel illuminatus fuiſſet, potuiſſet ſuo iſto poſtea orbari lumine. *Stultus* enim *ſicut Luna mutatur, & certam* apud eũ, in fidei negotio; *præſens vix habet hora fidẽ.* Pænè piget alios Rhetoris Logos perſequi. Adeo futiles ſunt. *Papiſtis*, inquit, *fingendi, mentiendiq́ libidinẽ modo aſcribis, modo abnuis.* Scitè hoc ſcribit Rhetor. Quod enim me aliis ait, tribuere, hoc ſibi iam reapſe vendicat. Illam enim mentiendi libidinem nuſquam Catholicis aſcribo, ſed verba, quibus eam iis aſcribunt hæretici, ſcribo. *In Diabolum totius veſtri Papatus auctorem, architectum, parentem, & fabrum miris modis, quod per me tamen licet, debaccharis.* Nouum & inauditum crimen ad te, Cai Cæſar, defert Roſtochiẽſis Rhetor, me in Diabolum debacchatum. Ei tamen habenda gratia, quod *per ſe* tamen *id licere* addat. Nã niſi addidiſſet, mihi cõtra diabolũ haud liceret hiſcere. Ex eo autem quod ſibi paulò ante vẽdicauit, mendaciorũ iure, *Diabolũ totius Papatus auctorẽ,*

Eccl. 27. 11. *Ouid.* *P. 79.* *Ibid.*

architectum, parentem & fabrum blacterat. O ſi Prædicantibus, Superintendentibus, Theologis, Rhetoribuſque Lutheranis omnibus vel vna eorum argumētorum, quibus Lutheri Magiſtrum Diabolum euincimus, minima contra vllum tam multorum qui totos iſtos CIƆ IƆC annos Eccleſiæ in terris præſederunt, Pontificum ſuppeteret vnciola, quibus incederent lætitiis? quæ in nos maledictorum cōtorquerent fulmina? quàm erecti & alacres, quaſi internecione occiſa noſtra eſſent omnia, ouarent, triumpharent, aſſidueque *Io Bacche, Io Bacche* conclamarent? *Ironicam, qua Lutherum Diabolus ſalutauit, ſalutationem blandam & honorificam, & eiuſmodi qua ipſe Lutherus gaudeat, interpretaris.* Ita eſt; negare nō queo. Cum enim ſcriberet Lutherus ſuam diſputationem ita exorſum Diabolum; *Audi Luthere Doctor perdocte,* ſic mecū cogitabam. Diabolus magnus Rhetor eſt, beneuolentiam & attentionem bene captare nouit. Callidus eſt. Modum tentandi ac decipiendi vt in quarto argumento dictum ſupra; percallet optime. In Lutheri ergo animum blandè voluit influere: illumque, quam plenè illuminati ſolent reſpuere; honoris propinare promulſidem. Si tamen, quam probare Roſtochienſis non poteſt Rhetor, quamque res excludit ipſa; ironiam admitteremus, iniuria Luthero ab eius patrono nulla fieret. Doctor enim perdoctus haudquaquā

Ibid.

fuit:

fuit: ſed vehemens, audax, iracundus, tumidus: &, ſi multum ei concedere velimus, doctus aliquantulum, non autem perdoctus, illa præſertim nocte, qua plenè illuminatus nōdum fuit. *Phraſin, in corde, miſerrimè torques & excarnificas.* De ſe ſi loqueretur Rhetor, verum. *ſup.c.3.*
Vide argumentum ipſius primum. *Nec an in corde tantùm, an verò in ipſis etiam corporis Lutheri ſenſibus, an quomodo diſſeruerit Satan, conſtituere potes.* At iam conſtitui: ſed vt probabilius, non vt certiſſimum. Qui, veritatem ſeriò amant. eandem & quærunt ſeriò. Si planè ac plenè inueniunt, affirmant: ſi minus planè, pleneque, opinari ſe inquiunt, & probabilius exiſtimare. Quæ mea ergo culpa, quòd veri dixerim ſimilius, aſpectabili forma ſermonē cum Luthero copulaſſe Diabolum, non autem formam iſtam velut compertiſſimam aſſeuerarim? Non legit Tullium Rhetor, cui *conſideratiſſimum Romanæ conſuetudinis verbum eſt,* ARBITROR. *quo,* ait, *nos etiam tunc vtimur, cum ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipſi vidimus.* *pro Fonteio.*
Ipſe de ſeipſo Apoſtolus: *Siue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit.* idque non ſemel tantùm, ſed & iteratò dicit. Et hoc Induciomarus neſcio quis velut probrum obiiciet? hoc confidentiloquus Rhetor neſcio quis *inconſtantiā & lubricitatem* appellabit? *Denique, coniecturis,* ait, *id eſt, veriſimilibus ac nugis omnia peragis.* Certè in rebus non neceſſariis ſi non primas, ſe- *2. Cor. 12. 2.*

 cundas

cundas profectò vel tertias non apud Rhetores tantũ,ſed Philoſophos etiã, grauiſſimoſq; Iudices tenent veriſimilia. quę nugas dum vocat Rhetor,artem ſanè,ad quam ſuam(quanti neſcio)locauit operam, nugatoriã indicat. Et ſi verò nugatur ſemper,mihi tamen contra nugari haud lubet. ſolumque tria nunc moneo.

I. Vt hic ingenij ſui lumen oſtendat,&grãmicis ac neceſſariis demonſtret rationibus, nullum Lutheri auribus ſonitum,nullam oculis figuram, nullam omnino aſcititij corporis imaginem obieciſſe. tum verò, quia mihi veritas in oculis;plus aliquid quàm è vulgo Rhetorem agnoſcam:ipſiq; pro illa,quam quærebam;inuenta gratulabor gratiſſimus.

II. Vt magnoperè caueat,ne nouum Marpurgenſem Caluinianæ Theologiæ Profeſſorẽ *Raphaelem Eglinum* imitetur. Is, vt Nouatorum ingenium & gloriolæ ardor eſt; cum ſe quoq; tollere vellet humo,nouam nuper in Domini paſſione meditatus eſt fabulam. illum ſcilicet poſteaquam à Iudæis captus fuit, fuiſſe ab iiſdem illis in carcerem & vincula coniectum, pluresque hebdomadæ dies ibidem, antequã in crucem ageretur,detentum. atque vt tanto maior videretur Sophus, non coniecturas & veriſimilia ſe afferre ſcripſit:ſed,ſi Deo placet; *apodixin* & quidem, *quæ ἀναμφισβήτως concluderet*,magnoq; *protheoriarum,antiſtoecocheoſeon, dia*

gram-

grammatum,poriſmatumq́; agmine comitata,& vndique tanquam Regina,pediſequis,lateronibus, anteambulonibuſque ſtipata, incederet.cum ne coniecturas quidem & veriſimilia miſer ille attulerit.nimirum *Iuu.ſat.1.*

Aude aliquid breuibus,Gyaris, & carcere dignum
Si vis eſſe aliquid.

III. Vt ne putet, ſi nulla Lutheri oculis corporea obuerſata fuit ſpecies; ideo diſputationem pingi,ſculpiq; aut nõ poſſe,aut nõ debere Multa.n.quæ aut ſpiritu, aut à ſpiritibus, acta ſunt,ab ipſis etiam pinguntur Lutheranis. Sed de tota hac Lutheri pictura egi libr. 2. de Lutheri Magiſtro c.8.& quidem ita,vt in *Apologia* ſua ne vnum quidem ei colorẽ detrahere aut obſcurare conatus fuerit, qui quidquid Luthero defendendo potuit;conatus eſt Frid. Balduinus Olſnicẽſis Superintẽdens,& Wittenbergenſis Theologus. At verò *non iura tan-* *p.79.* *tum ciuilia,ſed etiam Canones requirunt, vt probationes in criminibus capitalibus,quale quidem hoc eſt, propter quod tu Lutherum in iudicium vocare non erubeſcis, ſint luce meridiana clariores.* prout *Calixtus veſter*, & *Vlpianus* præcipiunt. En quo tandem Rhetoris Logi. Capitis iam me arceſſunt. Timerem, ſi ipſe non accuſator modo, ſed & Iudex foret. At prudens quilibet ingentem eius aut ridebit, aut miſerabitur ſtultitiam. Annos abhinc amplius ſexaginta teterrimam Lutherus exhalauit animam.

80. *c.Sciant.2. q.8.Abſentẽ l.5.in pr.ff. de pœnis.l.1. §.5.ff.de Carbo.edict.*

Et huic me capitalem nunc litem intendere, ipſumque in iudicium vocare garrit Rhetor. fallitur, imò fallit. Non Lutheri vitam, nō caput, non ſanguinem mea petit actio. ſed hæreſin, ſed diſciplinam, ſed animarum quamplurimarum circūuentionem ac exitium. Ne ab eo decipiatur vllus deinceps, ne qui deceptus eſt, perire cum eo prorſus velit, Acheruntium eius indico Magiſtrum: eius monſtro, vbi hæreſin didicit; gymnaſium, eius accuſo in audiendo Diabolo attentionem: in amplectendis, quæ hic propoſuit, facilitatem: in omnium, quæ ab eodem hoc dicta & docta, comprobatu & aſſenſu amentiam. Deinde verò ad hoc quidem, *an corporali, an* verò *ſpiritali tantùm viſione totum hoc Diaboli cum Luthero colloquium & diſputatio tranſacta fuerit,* coniecturis vtor, iiſque bonis & claris: ad illud verò, quod quæſtionis caput eſt, & quod præcipuè conſiderandum; *An à Diabolo Lutherus doctus, fideiq; veteris repudium perſuaſus ſit,* omnia ſanè communio & inſtruo teſtibus maximè idoneis, apertiſſimis documentis, indiciis ad probationem indubitatis. In quo, ſi fallo, non vt ille, dico, *me faciat, quod vult Iuppiter:* ſed me arguant, mea refellant, vbi fallam oſtendant, quidquid vſquam locorum eſt, Prædicātium, Superintendentium, Rhetorum, & Theologorum Luthericolarum, cum eo tamen vt rem hanc vnam agant, conuiciis abſtineant, bona fide

fide quæ attuli; expendant, veritatem inquirant, inuentam confiteantur & amplexentur. Quod verò Calixtum *noſtrum* dicit Rhetor, id verò mihi auditu iucundiſſimum. Magnus enim ille vir fuit, non regio tantum & Imperiali ſtemmate: ſed zelo etiam ac ſanctimonia: & omnino talis, qualem ex illo æuo nullum Lutherani poſſint *ſuum* dicere, niſi ſi velint *Tandemum*, aut vt ſcribunt alij, *Tanclinum* illũ, contra quem tam præclarè ac feliciter depugnauit Magdeburgenſis ille Samuel, *S. Nortbertus*. Si Vlpianum verò Lutheranum malint, nihil repugnarit comperta hominis, docti licet Legum Interpretis, impietas, acerbumque in Chriſtianos odium. Cur verò huius verba hic demutare voluerit Rhetor, cum rei quam agebat, nihil diſconducerent, equidem non video, niſi vt nugarum forte aliquantulo plus ageret.

Sugerius in Ludouic. Baron. To. 12. an. 1119.

CAPVT X.

In octauo argumento Logi de Ieſuitæ contradictione.

NON equidem poſſum ire inficias, tot Rhetoris Logis fatigari me. ſed multo, vti quidem reor, magis Lectorem. Sed hoc quidquid eſt moleſtiæ, ob eius, quæ inueſtigatur, veritatis amorem, deuorandum, æquoque ferendum animo. Octaui tamen argumenti

Logos tres tantum iam numerabo. Sed ma-
gnos, pæneque ingentes. Primus eſt, totum i-
pſum argumentum: *Diſputationem*, ait, *Diaboli*
81. *cum Luthero, non fuiſſe magiſterium probat tertiò,*
Ieſuitæ in cauſa illius effingenda ἀντίφασις, & clariſſi-
ma contradictionis implicatio. Iuraret pænè Ari-
ſtides aliquis, Rhetorem hũc vel malitiâ ſum-
mâ Lutherum tueri, vel animi cerebrique ſa-
num ſatis haud eſſe, vel demum, omnino ig-
norare, quidnam ſit alicui obiicere ἀντίφασιν, &
contradictionis implicationem. Hoc enim
fit, cum oſtenditur, vnum aliquem ſibiipſi
ſuis in verbis repugnare, contrariaque dice-
re: non autem, ſi ei repugnet, contrariaque di-
cat alius. Nunc verò Rhetor, non me mihi re-
pugnare, aut cõtradicere oſtendit. (Nec enim
poteſt, cum id non faciam) ſed ſe mihi repu-
gnare atque contradicere, quia quæ vetera in-
ſtituta dixi, dicit ipſe noua. Hoccine eſt Ieſui-
tæ ἀντίφασις? hoccine ipſius clariſſima contra-
82. 83. *& ſeq.* dictionis implicatio? Sed Logus alter eſt, quod
inſtituit monſtrare, Catholica noſtra inſtitu-
ta noua eſſe, Lutherique doctrinam eſſe anti-
quam & ſanctam. ſcilicet vt à Lutherici Ma-
giſtri veſtigiis oculos, curſumque auertamus,
& feras quaſcumque inſequamur alias. Alio-
qui cum è ſuorum hauriat Rhetor fecibus,
& communes illorum de fide, iuſtificatio-
ne, ſacris ritibus, atque Pontificibus locos ſub-
legat, quàm factu cuiuis facile eſt, è limpidiſ-
ſimis

ſimis Catholicorum fontibus, è Cretico, Aruiſioque nectare ſuauiora, ſanioraque affatim bibere? Tertius demum Logus eſt argumenti huius concluſio. *Quare*, ait, *ſic concludo: Cum rei ipſius euidentia, & vt ſic dicam, notorietas teſtetur, Lutherum verè vetera Patriarcharum, Prophetarum,* CHRISTI *& Apoſtolorum inſtituta amplexum, &c. Contra autem Ieſuita* ἀντίφασιν, *contradictionisq́ implicationem omnibus, quibus cerebrum in calcaneo non eſt, probauerit atque oſtenderit: effici hinc, diſputationem eam nequaquam fuiſſe Diaboli magiſterium.* Qualis domina, inquit Clemens Alexandrinus, talis & canis. Totum antecedens Logus fuit, quidni & conſequens? in quo & illud neſcio an extra Logos bonus poneret Orator, quod pænè ſeſquimilliario diſtet verbum *effici*, ab eo à quo pendet, *concludo*. Eos, qui de re videntur, nunc ſolum colligo: & hos ne quidem omnes, cum eorum vbique nimium luxuriæ lolium.

89.

lib. 3. Pæd.

ALTE-

ALTERIVS PARTIS LOGI IN RESPONSIONIBVS AD Theoſdoton remiſſum,

CAPVT XI.

Ad remiſſi Theoſdoti caput ſecundum Logi, de ipſo Ieſuita

VT quæſtionis *de Diabolo Lutheri Magiſtro*, inter me & Olſnicenſem Superintendẽtem, nunc vero Wittenbergenſem Profeſſorem & Theologici ſenatus E‹decanum tractatæ, ab Roſtochienſi autem Rhetore ſecundarum veluti partium patrono in Theoſdoto ſua ſuſceptæ perſpiceretur à quolibet ſtatus meliùs, collatioque rationum inſtitueretur certiùs, operam quidẽ in meo remiſſo Theoſdoto dedi: ſed ita, vt ad priores qui hac de cõtrouerſia tota plures cùm à me, tum à Lutherano primarum partium patrono exierant, libellos relegarem Lectores, ne inanis & odioſa eorumdem omnium fieret repetitio. Neque enim noſtra tam putaui pulchra, vt decies ea repetita iſti vellent: neque tam vile iis temporis oculorumque pretium, vt in iiſdem lectitandis toties cuperent occupari. Et eam ob cauſam omnia pænè capita inſcribebam: *Rectè probatum*, ſcilicet in prioribus meis de Lutheri dæmone opuſculis, & extrinſecus ea ſolum ponebam argumenta, quæ hoc *rectè probatum* monſtra-

monſtrarent. Quo ſemel obſeruato concidunt, corruuntque omnia pænè Rhetoris reſponſa, ita vt breuiter ea nunc indicaſſe, refelliſſe ſit. Et ad ſecūdum quidem iam nominati *remiſsi Theoſdoti* caput, hæc eius ſumma & valentiſſima reſponſio eſt. *Presbyter ſic argumentatur. Quidquid ego Presbyter dico eſſe à me ſolide & inuictè probatum, id verum eſſe neceſſe eſt. Sed de illo, quod Lutherus ſit dæmonodotos, verum prius. Verum ergo poſterius.* Non eſt iſte quidem ſyllogiſmus meus. optimè tamen fit, vt quæ fuſiùs dicta fuerint, ea in huiuſcemodi vel ſyllogiſticam, vel enthymematicam formam contrahantur. In hoc autem ſyllogiſmo eſt Logorum hoc, quod aut mihi mendaciter affingitur is, aut in ſumptione vtraque apponi debuerit aduerbium *verè*: vt ſit, *Quidquid ego Presbyter verè dico*, &c. Licet enim me non ſit neceſſe currere, dum tamen curro, id neceſſe eſt. Minor autē, *Sed verè dico, à me ſolidè & inuictè probatum, Lutherum eſſe dæmonodoton.* Addit, *me immemorem præceptorum dicendi, non collocaſſe in acie prima fortiſsimum argumentum: ſed inſtar perfrictæ frontis furis & malefici, omnia, quæ ad palliandum facinus, quocumque modo facere videantur, cupidè arripuiſſe.* An eſſet illud argumentorum meorum omnium fortiſſimum, non equidem contentione facta exploraui. Sed operam id dedi, vt eſſent fortia & bona omnia. Dum tamen id iam aſpicio, mihi eſſe videtur eiuſmodi, vt vel vnū

p. 92. 94.

ac ſo-

ac ſolum demonſtrando Lutheri Diabolo ac præceptori abundantiſſimè ſatis ſit. Continet enim probationem, quam libelli priores omnes continuerunt. perſpicuam, ſolidam, & aduerſus hyperaſpiſtas, Apologiasque Superintendentium & Rhetorum Lutheranorũ omnium, inuictam. Ita enim, non vllũ prorſus vel contemnendo, vel irritando, ſed cauſæ ipſi ac veritati fidendo, loqui me cogit Rhetor, qui cum præceptorũ dicendi, quæ ſuis nunc diſcipulis tradit, valde memor ſit, nobis magno cum Logo monſtrat, argumẽta quæ hactenus attulit, longe infirmiſſima & futiliſſima eſſe omnia, cum eorum primum vix minimæ fragiliſſimæq; inſtar ſtipulę fuerit, vt vidimus c. 3. Sic miſer, vbiq; ac ſemper,

Iuuen. *Abderitanæ pectora plebis habet.*

CAPVT XII.

Ad Theoſdoti remiſſi caput tertium, Logi de Superintendentis Olſnicenſis, VVittenbergenſis Doctoris, cum Rhetore Roſtochienſi comparatione.

CApitis mei tertij ſumma hæc fuit. *Superintendens & Doctor Lutheranus Roſtochienſi Rhetore multo doctior, ingenioſior, linguaq; prõptior non potuit ſuis omnibus hyperaſpiſticis Apologeticisq; ſcriptis efficere, ne Lutherus Diaboli eſſet diſcipulus: ita vt in quæſtione prorſus obticuerit. Multo igitur minus*

minus efficiet hoc Rhetor Roſtochienſis. Reſpondet obticuiſſe illum, quod nos Societatis IESV homines, Plautinis lenonibus ſimus ſimiles. Id ego quidem in Lutheranos retorquere poſ- p. 93. ſum facilime. Dic tamen ſodes, cur hac vna in cauſa elinguis ac mutus factus ille, qui linguaciſſimus aliâs, & verboſiſſimus? Cur, qui Wittenbergæ docet, in Lutheri cathedra ſedet, ad eius cadauer commentatur, primas in eius patrocinio, è Lutheranis omnibus, partes occupauit, qui plurima ſcripturit, & aliqua quotidie ſcriptitat, cur iſte, inquam, ſiluit? cur ſuſceptum *Eliæ, Theandrique* ſui patrocinium deſeruit? Magnum Lutheranorum omnium erat votum, magna cupiditas, magna expectatio, futurum vt, patrono iſto, à Diaboli ſchola & magiſterio abſolueretur Lutherus. Sed nimirum Hortenſius, etſi magno animo, ſpeq; ingenti Verris, hominis ſceleribus, criminibuſq; omnibus coopertiſſimi, patronũ ſe profeſſus eſſet, eamque ad rem præter ingenium & eloquentiam, quæ in eo ſumma erat; grauiſſimam etiam Conſulis auctoritatem attuliſſet, cum tamen illius libidines, furta, ſacrilegia, crudelitatem, cædes, facinoraque omnia tot & tam idoneis teſtibus, tabulis, argumentis probari vidiſſet, obmutuit, patrocinium abiecit, maluitq; graui ac prudenti ſilentio ſuo ſceleratiſſimũ reum dãnari, quam ingenio & facundia contra veritatem, Senatus dignitatem, Reiq; publicę ſalutem abuti & quidem fruſtra.

CAPVT XIII.

Ad remiſſi Theoſdoti caput quartum Logi de inuerſa à Rhetore quæſtionis ſtatu.

CVm de dogmatum veritate tantum hodie in Germania, orbeque hoc noſtro Chriſtiano certamen ſit,& ab his quidem Lutheri doctrina vera & ſancta,ab aliis verò mẽdax & impia dicatur, exorta eſt quæſtio, vnde ſuam hanc doctrinam ille accepiſſet? A Deóne,an à Diabolo? A Diabolo autem accepiſſe,probaui opuſculis aliis, ex ipſiuſmet teſtimonio, tabuliſque prorſus obſignatis. Nunc prodit in Theoſdoto ſua Rhetor,rurſumque in Apologetico ſuo,&ait:*Vera eſt Lutheri doctrina.Non igitur à diabolo eſt.* At ſane quia negant Catholici antecedens, & quia, ad eius clarè facileque indagandam aut veritatem,aut falſitatem, tota de ipſius Magiſtro excitata lis, Rhetorem dixi capite *remiſſi Theoſdoti* quarto, ſtatum inuertere quæſtionis. Et nonne res eſt? Poſſumus quidem aliunde an doctrina vera, falſáue ſit, quærere ac iudicare.Sed hanc nunc viam,quæ ad Lutheri Magiſtrum fert,ingreſſi ſumus. Hæc tenenda nunc, terendaque. Alioqui eam deſerere, qui vult, poteſt. ſed qui deſerit, aliamque capeſſit bonam & rectam, facit, quod cuiuis licet:ſed nõ facit,quod iam faciendum, vt ex Lutheri Magiſtro, clarè ac

facilè

facile cognoſcant magni &parui, eruditi &rudes, acuti & hebetes, veridicáne an falſidica illius doctrina ſit,

CAPVT XIV.

Ad Caput V. Logi de refutatione à Rhetore omiſſa.

DIcebam Rhetorem ne ad vnam quidem Luthero turcicæ orationis meæ rationẽ reſpondiſſe. Id verò negat. *Ego*, ait, *orationis ipſius conſtructiunculis cum cæteros arietes, tum illum quem primo loco ſupra expoſui, obieci. Quibus arietibus proſtrata ipſius omnia tam certò iacent, quàm certum eſt Solem lucere, cum medium cœli obtinet, nullis nubibus tectus.* At aries ille vix plumæ inſtar fuit: eſtque confractus & proſtratus antea. Abderologia igitur hic Rhetoris. 104. Cap. II.

CAPVT XV.

Ad caput VI. Logi de Rhetore veram diaboli cum Luthero diſputationis hiſtoriam fatente.

IPſum etiam Rhetorem fateri, Satanam de iis quæ ad æternam animæ aut felicitatem, aut miſeriam pertinerent, confabulatum; ſcribebam *remiſſi Theoſdoti* capite ſexto. Reſpõdet ſe *in principio ironikῶs loquutum.* Huic vbi expedire ſe non poteſt, aſylum ironia. Nam & dia- 106. 102.

D bolum

bolum antea, cur perdoctum vocaſſet Lutherum, ironia dixit fuiſſe. Fuerit verò *initio tota e-*
cap. 9. 102. *ius fere (* nam iſtud *fere* ad rem vidit ſuam facere*) dictio ironica.* de conſecutis, quæ ex ipſius *Theoſdoto* citaui, verbis quid? Num & loquutus ironicè cum dixit: *Ipſe Megalander ſcripſit: & ſcripſit verè: & ſcripſit ſeriò* &c. *ſibi cum Satana colloquium.* At ſeriò agit: ſententiam ſuam aperit,
ed. 2. p. 27. 106. apol. ſicuti & hic poſtea, cum ait: *Equidem in progreſſu orationis, vbi ipſam ſcholæ diabolicæ refutationem ſubeo, diſputationem illam Satanæ cum Luthero habitam concedo.* Satis eſt. hoc volebam. Satanicæ cum Luthero diſſertionis vera, vti adhuc fateris, narratio eſt. Quid ad illam, qua te initio vſum vis, confugere opus ironiæ latebram? Neque omnes, neque omnibus in rebus de-
in Bruto. cet ironia. *Ego,* inquit ille apud Tullium Titus *ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuiſſe, qua ille in Platonis, & Xenophontis, & Aeſchinis libris vtitur, facetam & elegantem puto. Eſt enim & minime inepti hominis & eiuſdem etiam faceti, cum de ſapientia diſceptetur, hanc ſibi ipſum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam ſibi arrogant. Sed in hiſtoria vide quæſo, ne tam reprehendenda ſit ironia quam in teſtimonio.* Et poſtea ſubiungit, in iocis adhiberi poſſe ironiam, non autem in teſtimoniis, & ſeriis ſeriarum grauiumque rerum aſſeuerationibus. Illud autem, quod ex ſeria diaboli cū Luthero diſſerentis eiq; placita ſua perſuadentis narratione ac hiſtoria infertur,

hunc

hūc eſſe illius diſcipulū, nō vis quidē fateri; ſed vt fateri debeas, vim, & quoſdā quaſi equuleos ac fidiculas ſapiens admouet ratiocinatio, tot ſignis, indiciiſq; tā inſtructa, tā euidens, tā tergiuerſationi, cauillationiq. nulli obnoxia.

CAPVT XVI.

Ad caput VII. Logi de falſiſſima dilutiſſimaq; deſperationis excuſatiuncula.

OStendebam capite ſeptimo, excuſatiunculа nimium frigida Lutherum, ne diaboli ſit & habeatur diſcipulus, à Superintendente ac Rhetore defendi, dum ad deſperationem à Diabolo ſolicitatum fingūt. At Rhetor, *Vbi, ait, hæc in Theoſdoto, Serari, excuſatiuncula? Qua littera, qua pagina? quo verſu? Voluat, reuoluat, pius Lector totam iſtam meam Theoſdoton, à ſummo vt aiunt capite ad imam calcem à prima ſyllaba vſque ad vltimam ſyllabam, bene ſit Serario, ſi vel minima occurrat eorum verborum mentio, voluiſſe Diabolum ad deſperationem Lutherum pertrahere.* quaſi vero de verbis iſtis, & non de rebus quoquo modo tādem ſignificatis quæſtio ſit, & quaſi de Rhetore ſolo, non autem & de Superintendente loquutus ſim. Sed & de te ſolo agamus, mi Rhetor, qui adeo nnnc in fermēto es, adeoq; vociferaris. Nōne tua in eo plurima eſt Theoſdotos, vt doceas ad deſperationem à Satana tentatum & ſanctum Petrum, & Iudam proditorem. ſed ſolum hūc pertractum? p. 107.

Nonne tua tandem hæc verba ſunt? *Hoc*, in-
ed.2.30.b. quam *modo niſi Spiritus ſanctus hominem cum Satana confligentem,cum inferno colluctantem, acerbitate iræDei exanimatum,magnitudine proſtratum erexerit, fieri non poteſt, quin aſſultibus Diaboli tam horrendis, tam ſæuis, tam ſanguinariis fractus in corporis atque animi perniciem ſempiternam præcipitem ſeſe deturbet.* An Rhetorica hic deſperationis
Ibid.31. deſcriptio non eſt? Et poſt hæc, è veſtigio, tua iſta, quæ capite illo ſeptimo citaui, quæ impudentiſſimè hic negas, verba ſunt: *Talem ergo luctam ſibi cum Satana fuiſſe, taleque colloquium narratione ſua graui atque ſeria teſtatur Lutherus.* Nunc ſodes, è pulmonibus, hiriſque imis vociferare, & dic Rhetor: *Vbi hæc in Theoſdoto excuſatiuncula*? & quæcumque nulla cum fronte, ſumma cum impudentia, & ſtultitia paulò ante limphatus adiungebas.
p.26.65. Eodemque tendit, quod ſemel iterumque inculcas Caini deſperantis exemplum. Quid, quod & ſui etiã immemor (Mendacem enim aiunt memorem eſſe oportere) deſperationis hanc excuſatiunculam nõ iam re tantùm, ſed hoc ipſo etiam vocabulo in Lutherum ſuum contulit? Vidimus id ſuprà capite V. cum dixit, Satanæ hunc ſua in diſputatione ſcopum fuiſſe, vt *Lutherum in diuerſas partes actum tandem in deſperationis diſcrimen pertraheret.* Quid nugis ergo ſuis lectorem obtundit Rhetor? Quid inficiari audet, quod omnium oculis & mani-

manibus tenetur? Perditiſſimam Lutheri cauſam eſſe oportet, quæ defendi aliter non poteſt. Et ſanè, ſi ſemel miſerrimmam, falſiſſimamque hanc de deſperatione deſerant (vt deſerere omnino debent) Lutherici patroni excuſatiunculam, nihil prorſus, quo à Satanæ magiſterio illum excuſent, habent reliquum. Hæ vltimæ incitę. ideoque paululum ſeſe colligit Rhetor: & abiectum hunc deſperationis recipit clypeum: monſtrareque conatur, omnino ſuaſiſſe Luthero diabolum deſperationem. *Quid enim illa?* inquit. Da fienge der Teuffel mit mir in meinem Hertzen ein ſolche Diſputation an/wie er mir deñ manche Nacht bitter vnd ſawer machet. Sed hæc & ſimilia, quæ plura laudat Rhetor, primò nōn ſunt ipſius diaboli diſputantis verba. Quomodo iis ergo in deſperationem trahere vult? Deinde, neque quoad vocabulum, neq; quoad rem, de deſperatione ſonant vel minimū. An vna deſperationis tētatione noctes alicui acerbas efficere poteſt dęmon? An, crudelibus aut curis & ſpectris, nemini ſudorē, horripilationem, cordolium, ac mortem machinatur, niſi cui deſperationem reſtimque ſuadet? Sed, quidquid de deſperatione ſit, è verbis illis, vt eſt egregiè acutus; colligit Rhetor, non fuiſſe Lutherū Diabolo morigerū diſcipulum, quia neque Magiſter morigero diſcipulo acerbus eſt, neque filio Pater. Scimus autem Magi-

p. 111.

112.

ſtrum diſcipulo patrem eſſe. Quis homo iam Rhetoris non miretur acumen? Quis nugas eum iam dicat agere? præſertim cum hoc in argumento totam eloquentiæ ſuæ lecythum
113. effundat. *Magna,* inquit, *vis eſt natura, multum valet ius communionis. portendum denique eſt certiſſimum, eſſe aliquem tanta feritate, tantaque immanitate, vt non dico filium, ſed ſeruum, eumq́ non peccantem, ſed omnes officij partes rectè adminiſtrãtem, non petulantem, ſed morigerum, non contumacem, ſed obſequentem & frugi, ita inhumaniter tractet, vt nullo ipſius merito, omni humanitatis iure poſthabito, eum excarnificet, conficiat, eoque adigat, vt is afflictiſſimus ſibi, miſerrimuſque, & talis, cui exhalanda nõ rarò ſit anima videatur.* Sed breuiter, in hiſce tot verborum ampullis multas & magnas aio ineſſe nugas. *Primo* enim putat Rhetor Diabolum legi naturæ morem gerere, ferum non eſſe: illos qui ei obtemperant, humanè ac indulgenter habere. *Secundo*, eundem Diabolum ſe erga ſibi morigeros & obſequẽtes gerere inſtar heri boni erga famulos bonos, boni præceptoris erga bonos diſcipulos. boni parentis erga bonos filios. Vnde *tertiò* ſequitur, fabulas meras eſſe, quidquid de atrociſſimis, quæ in gehenna inferant dæmones, tormentis diuinæ teſtantur litteræ. fabulas *quartò* meras eſſe, quidquid de terroribus, anxitudinibus, verberibus, præcipitiis, ærumniſque aliis quas Magis, ſtrigibus, variiſque inferre

ferre ſolent Orcini carnifices; narrant nobiliſſimæ teſtatiſſimæque hiſtoriæ. Vnde & *quintò* colligitur, ne à dæmonibus in hoc & futuro ſæculo cruciemur & excarnificemur, ſed clementes eos, humanos, & benignos experiamur Dominos, Magiſtros ac patres, iis extemplo, promptè atque alacriter obediendum. eundum ſtatim quo illi cumque vocabunt. faciendum è veſtigio, quidquid imperabunt, monebunt, ac innuent. En, quo Lutheri progreditur defenſio? Quam miſerum ac triſte vllum omnino inueniri, qui Chriſtianus, aut etiam præcisè homo haberi cum velit; ne tamen quod ei extorquet veritas, fateatur; *Lutherum Diaboli diſcipulum eſſe,* malit eam verborum ſentinam, è qua tam multa quæ audiimus, impia fanatica & mille digna mortibus fluunt; effundere. Ignoſce Domine, ignoſce Rhetori, quia quid faciat, aut dicat, eum neſcire puto. Tanta præceptarum hæreſeon vis: tam inſanus hæreſiarchæ amor.

CAPVT XVII.

Ad VIII. IX. & X. capita Logi, de comparata à Rhetore Lutheri tentatione cum Iudæ, Cælitum, & CHRISTI *Do. tentationibus.*

VNum in aceruum tria collegit Rhetor capita, & quia in iis de Lutheri cum Iuda, Cœlitibus, & CHRISTO Domino comparationibus, quas ille inſtituerat, agitur: *Me*, ait, *his ita oppono, vt negem in mea oratione comparationem, qua Lutherũ, vel Iudæ, vel cœlitibus, vel* CHRISTO *æquauerim, vſquam inueniri.* Aſtutè verbum hoc *æquauerim* poſuit. Cum enim cõparationis plures formæ ac modi ſint, vult obeſæ naris Lectoribus videri omnem negare Lutheri cum Iuda, cœlitibus & CHRISTO Domino comparationem, quæ ab eo dicebatur inſtituta, & vnam ſolam negat æquationis ſpeciem. Plurima verò inter ſe comparantur, in quibus non æqualitas, ſed aliqua tantùm monſtratur ſimilitudo. Attamen ſi in quem ille iaculabatur, ſcopum attendamus, eum comperiemus, ita Lutherum cum Iuda, cœlitibus, & CHRISTO Domino compoſuiſſe, vt omnibus in eo fuerit æqualis, quod vt illi, ſic & ipſe tentatus ſit. Ego autem ne iſta, qualis qualis cum cœlitibus & CHRISTO Domino æqualitas, aut ſi nunc mauult; ſimilitudo, imperitorum præſtingue-

ſtingueret oculos, Lutherumq; vllo modo à diaboli ſubduceret ferula, pertexi porrò, & oſtendi ſummam Lutheri cum Iuda æqualitatem in eo eſſe, quod, vt iſte à Diabolo tentatus, fecit, quod ſuadebat Diabolus: pariter etiam fecerit Lutherus: ſummam verò eiuſdem Lutheri cum cœlitibus & CHRISTO Domino inæqualitatem atq; diſſimilitudinem, quod iſti fuerint quidem à Satana tentati, ſed nequaquam quæ ſuadebat iſte, fecerint: verùm refutarint, reſpuerint, repudiarintque omnia: Lutherus vero, quæ idem ille ſuaſit Satan, audierit, approbarit, feceritq; omnia. Si hæc non ita ſunt, cur planè ac ſimpliciter nō refellit Rhetor? Quid limpidam veritatis, quam luſcitioſi etiam perſpicerent, doloſè aquam turbat? ſicuti & poſtea denuo, cum ait: *Iterum nego me* 119.
illos cum Luthero, eo quo Ieſuita vult modo, comparaſſe. Iam ſe fatetur comparaſſe. ſed non eo, quo vult Ieſuita modo. Quo igitur alio? cur perſpicuè, candideq; iſtum non explicat? Cur eum, quem poſui modum, aliquo ſaltem modo non profligat? Imo, inquies, profligat. quia tandem negat *Lutherum omnia, quæ ab eo* 120.
diſci, fieriq; cupijt Satan, didiciſſe ac feciſſe. idque probat ex Lutheri ipſius Poſtilla maiore, Catechiſmo minore, Tomoque octauo, vbi de fide & charitate dicit pulchri aliqnid. Gertæ. Aio Lutherum omnia, quæ *in diſputatione ſua* docuit, fierique cupiit Satan, didiciſſe ac
 feciſſe

fecisse omnia. & tu *extra diſputationem iſtam* quæris alibi aliquid, quod à diabolo non didicerit Lutherus. An ad rhombum hoc? Et tamen à Diabolo etiam didicit, quod hæreticorum omnium eſt, vt fallant facilius; vera interdum & bona loquitari aliqua.

CAPVT XVIII.

Ad XI. caput Logi, de vberiore tentati Lutheri cum tentato CHRISTO *Domino comparatione.*

QVia & in orationis ſuæ principio & in progreſſu tentationem CHRISTI Domini, cum qua Lutherica comparetur, nō ſemel commemorat Rhetor: ideo explicatiorem inſtitueram cap. XI. *remiſſi Theoſdoti* comparationem. Ad eam nihil niſi diſſimilitudinis elenchum reſpondet. cum illam tamē perpetuò ſemper clariſſimeq; monſtrarim, oſtendendo quam longe ab CHRISTI Domini cum Diabolo tam ſtrenuè ac heroicè decertantis, eumque ſubigentis, domantis. & profligantis exemplo abeſſet Lutherus, eidem in omnibus & ſingulis cedens, obſequens, obtemperans. Cum ergo contra, quod hiſcat, ne gry quidem habeat Rhetor, neque tamen vt rectè ſileat imperare ſibi poſſit, ad puteum, quem vocauit Iſaac Patriarches *calumniam*, eſe confert, indeque conuiciorum & mendaciorū in Pontifices,

Gen. 26. 20.

tifices,Societatiſq; noſtræ homines,plenas aliquot effundit ſitulas, vel ex ipſa etiã petitas Gallia. Sed haſce omnes abſterſit iampridem magnus ille Galliæ Rex,Eccleſiæ Catholicæ lilium,Societatis IESV Vindex, Mœcenas,&vt patriæ, Pater,HENRICVS IV.qui nõ aureâ tãtùm,planeq; regia ad Pariſienſem Senatum oratione,ſed beneuolẽtia etiam, benignitate, munificentiaq; pluſquam Regia nos non dico ab Epigrammatariorũ &Declamatorũ,qui

falſón' an verò laudent,culpent quem velint,
Non floccifaciunt,

famigerationibus,ſed ab honoratorum etiam præſtantiumq; virorum,inſtituti adhuc noſtri minus gnatorum, opinionibus defendit: ſuum in florentiſſimum regnum reuocauit: in huius vrbibus, prouinciiſq; pluribus ſuâ veluti dexterâ collocauit: Collegiis,multo quam olim,pluribus amplificauit,in quibus &nobiliſſimũ illud,vereq; regium, & auguſtum *Flexienſe*,illo in loco,eaque in domo, quæ parentum eius antea fuerat: cuius ipſe dominus & hæres:quæque,fœliciſſimo partu, hanc in lucem editum omnium prima excepit,fouit,venerata & exoſculata eſt. Quid referam, quemadmodum è noſtris vnum ſibi ſacris à concionibus eſſe voluerit, aſſiduéque ipſum &attentiſſimè audiat? quemadmodum ſuam ad Maieſtatem venientes noſtros Magios, Oliuerios, alios etiam quoslibet,

Anno 1603. pridie Nat. Do.& ſunt impreſſa Pariſiis anno 1608. litteræ ipſius Regis ad P. Gunterium, Diepam. Trin.

Aderant eruditi quidã Gieſenſes hic in Collegio, ſuperiore Francof. mercatu, cũ Flexiã venirẽt plurima quæ & ipſi viderunt, elogia, emblemataq; Regia.

liber, humaniſſimè, comiſſimeque accipiat, appellet, dimittat? quemadmodum claboret, vt ſuo etiam ſtudio & auctoritate, *Conſtantinopoli*, medios inter Turcas, domicilium habeant Noſtri, Chriſtianiſque inibi, ſiue cum libertate ac dignitate, ſiue cum ſeruitute ac ærumna degentibus, idem, quod & alibi ſolent; religioſæ pietatis vel obſequium vel opem ferant? Verè ſi vnquam, noſtro in orbe nunc diuinum illud, ab Themiſtio etiam laudatum, emicat, ſplendidiſſimeque quacunque collucet oraculum. *Cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* Quis put aſſet? quis, humano, carneoque oculo futura proſpiciendo; credidiſſet? E Gallia igitur in Germaniam noſtram calumnias euocare deſinat Rhetor. ſuum in ſpelæum, vnde, cum multiplicibus mendaciorum ſpiris, & biſulca cum vinctæ ſolutæque orationis lingua proſerpſerat: ſeſe condat & illatebret viroſiſſima inuidiæ odiique ſerpens. Pergat cum Heydelbergenſi *lapide Simonio* in Angliam Rhetor. Illic enim falſæ nunc criminationes calent. Illic mendacia, calumniæ, contumeliæ,

Orat. 5. — *Prouer. 20. 1.* — *infra c. 20. n. 7.* — *Orat.* — *Trin.* — *p. 30.* — *Æn. 1.*

Quaſi herba irrigua ſuccreuerunt vberrimè.
Neque quidquã illic vile nunc eſt, niſi mores mali.
Eorum licet iam meſſem metere maxumam.

Sed *dabit Deus his quoque finem, In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.*

CAP.

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Ad XII. caput Logi, de CHRISTI *Domini deſperatione.*

NON, ait Rhetor, *nunc mediocri incedit* Ieſuita *iratus iracundia.* Quidni verò? Te 125.
audiebam blaſphemantem, & lento ferrem animo? Ad impios Rabſacæ ſermones veſtimenta ſua ſciderunt Eliacim, Sobna, Ioahe, iſeque demum Ezechias Rex: & ego, cum os in CHRISTVM DOMINVM aperies longe conſceleratiſſimum, eumq; *à Satana in tantas* ſcriberes *redactum anguſtias, vt de ſua ſalute deſperare videretur, vt à deſperationis periculo parum abeſſet,* non commouerer? Iterum tibi dico, Rhetor, ad has, aliaſque barbaras, & atroces tuas de CHRISTO Domino & Saluatore noſtro voces exhorrui, teque hac certè in blaſphemia, dixi Caluinizare. iſtam verò execrandam ſententiæ ſermoniſque impietatem & ſcripturis, & Patrum ſanctorum vocibus, optimiſque demum rationibus tuo ex animo chartiſque omnibus euellere, ac in ipſum, vnde prodiit, Orci barathrum deturbare conatus ſum. Doleo, Rhetorem ceritum adeo & fulguritum eſſe, vt cum illis omnibus neque reſpondeat, 126.
neque ſe, qui Theologus non ſit, reſpondere fateatur poſſe, ſuam tamen non deponere, ſed aut velare, aut defendere ſtudeat impietatem atque

4. Reg. 18. 32. c. 19. 1.

atque audaciam. At hoc quemadmodum facit? More ſuo, ineptè, nugatoriè, mendaciter. Primo enim capitis illius mei XII. ſumma erat hæc: *Non potuit Rhetor abſque noua & horrenda in* CHRISTVM *blaſphemia defendere Lutherum, ne Diaboli videretur diſcipulus. Inanis igitur & falſa ea defenſio: recteque alias probatum, Lutherum Diaboli eſſe diſcipulum.* At hoc enthymema mihi
125. aſcribit Rhetor. *Noua eſt, & horrenda Rhetoris in* CHRISTVM *Dominum blaſphemia & Caluinizatio. Ergo rectè alias probatum, Lutherum Cacodæmonis auditorem & diſcipulum.* Ego autē id, (modo ad eius, quod priore loco poſui enthymematis ſenſum accipiatur, ſicut in lēmate meo huius accipiebantur verba) meum agnoſcam non inuitus. Accipietur autem, ſi in antecedente vel addatur, vel intelligatur hoc: *ita vt ſine blaſphemia & Caluinizatione iſta non poßit Lutherum, ne Diaboli diſcipulus ſit, tueri Rhetor.* Secundò, de antecedente prout ipſum poſuit,
126. & 130. pronunciat Rhetor ſic: *Antecedens iſtius improbæ & inſulſiſsimæ argumentationis Serarianæ falſiſsimum eſſe, hoc tempore, idque tum Lutheri, tum vnius atque alterius Lutherani verbis probabo.* Si falſiſſimum antecedens. Eius ergo contradicens, veriſſima erit enunciatio, hæc: *Noua non eſt, neque horrenda Rhetoris in* CHRISTVM *Dominum blaſphemia & Caluinizatio.* Viden' Lector, ſpiritum blaſphemiæ? Viden' ea, quæ dixiſſe Rhetorem, notaui antea, dici adhuc

ab eo

Digitized by Google

ab eo non noua, non horrenda? Verum, *tum Lutheri,* ait tertiò, *tum vnius atque alterius Lutherani verbis probabo.* Itáne? Quia hæc etiam dicunt Lutherus, & vnus & alter Lutheranus, ideo vetera ſunt, & ſancta? An non & iſti Nouatores? An non & iſti impij, blaſphemi, & deteſtabiles? An ſuam impietatem & blaſphemiam rectè probaſſet Rabſaces, ſi ſecum idem ſentire ac dicere dixiſſet, Sennacherib Regem, eiuſque Ducem vnum & alterum Thartanem & Rapſarim? *Quartò,* *4.Reg.18.17.* Affert igitur Rhetòr Lutheri verba quædam, vbi CHRISTVM DOMINVM in horto *Tentator,* ait, *Satanas ſpatio dato propiùs accedens, acriùs quam vnquam antea ipſum aggreditur. Et. Satanas ignita tela in eum* (CHRISTVM) *coniecit, & altiſſimè pectori infixit, Deum ipſi iratum & inimicum ſuggerendo.* Deinde Sennacheribo huic adiungit Rhetor Selneccerum, & Ioannem Winckelmannum Profeſſorem nunc Gieſſenſem. Iam igitur, velis nolis Lector, credere debes, quæ de CHRISTI Domini deſperatione ſcripſit Rhetor, non eſſe noua, non eſſe horrenda, quia & ille, & iſti duo ita volunt. Vnde, *quintò,* albis iam quadrigis vehens Rhetor. *Quid,* inquit, *hic Caluinizationis? quæ hic blaſphemia, quã Ieſuita referens totus horreſcit?* Caluinizatio eſt. quia horrẽdũ hoc dogma docuit Caluinꝰ Blaſphemia eſt.) quia

126. In min. Poſtil. conc. 1. de paſſ. in horto.
117. p. 1. euang. p. 193. in med
Paſſ. 2. Inſtit. c. 16. § 11. 12. alibi.

quia CHRISTI Dei & hominis maieſtatem nefariè violat: Satanæ poteſtatem in eundem Dominum tribuit, non quoad exteriores tãtum corporis ſenſus, ſed interiores etiam, & quoad ipſam quoque mentem ac volũtatem: eundem etiam Dominum (quidquid verbo negent Lutherus, Caluinus) peccato, & quidem grauiſſimo, contra virtutem Theologicam, ſeu Deum ipſum, peccaſſe affirmat. Nam in omni actu malo, cuius & obiectum, & natura ex ſe mala eſt; non ſola eius mala eſt conſummatio, ſed quælibet etiam, cui conſenſus aliquis datur, inchoatio, & progreſſio. Eſt autem deſperatio actus eiuſmodi. Et tu, mi Rhetor, dicis, CHRISTVM Deum & hominem, *à Satana in eas redactum fuiſſe anguſtias, vt à deſperationis periculo parum abfuerit*. Deſperatio igitur hæc quamuis cõſummata non fuerit, inchoata fuit tamen. quin verò & eouſque prouecta, vt à conſummatione parum abfuerit: & quidem ipſius cum Dei ac hominis CHRISTI noſtri conſenſu. Nam ſi diſſenſiſſet, ſi repugnaſſet, ſi noluiſſet hic, an beatiſſimam eius mentem, cœleſtique ac diuina redundantem lætitia voluntatem ita conturbare, ita perterrefacere, ita excarnificare & omnino dementare potuiſſet Satan, vt deſperare prudens ac ſciens inciperet, in deſperatione procederet, ac tam longe procederet, vt ab extrema perfecta, omnibuſque abſoluta numeris abeſſet parum?

Sexto

Sextò reſipiſcere tamen aliquantulum videtur
homo, priſtinamq́ue cum ſententiæ, tum ora-
tionis inſipientiam damnare: ſed ita vt quem-
admodum per ironiam nuper, ſic modo per
amplificationem Rhetoricam excuſare ſeſe
cupiat. *Hoc*, ait, CHRISTI *exemplum à me non vt* 130.
Theologo materiam de interna CHRISTI *in cruce*
paſſione ex profeſſo tractante propoſitum, ſed ad ſpiri-
tualem tentationum grauitatem, vehementiam au-
gendam, amplificandamq́; oratorio modo inductum
eſt: Et poſtea; *ad Diaboli* μεθοδείας *amplificandas.* 131.
Sed in diuinis maximisque myſteriis contra
diuinam Maieſtatem ac Veritatem ludere,
amplificare, blaſphemias euomere, ne Poetis
quidem vllis fas. Orator eſſe vir bonus debet. *Cic.*
ne *ſtultiloquium* quidem vllum, aut ſcurrilita- *Quintil. in*
tem in Chriſtianis nominari fert Apoſtolus: *proœm. & li.*
& hyperbolas, auxeſes, amplificationeſque *2.c.15.*
impias & blaſphemas ferat? *Septimò.* Videtur *Eph.5.4.*
autem Rhetor in vertiginem hac in re agi: ne-
que conſtanter ſatis loqui. Audiuimus quid
in *Theoſdoto* ſua nuper dixerit; audiuimus &
quomodo nunc in Apologetico, ſe per Ora-
torias exaggerationes ſtudeat excuſare. rurſus
tamen ſuam illam Theoſdoticam impietatem 129.
ait, *Eccleſiarum Lutheranarum eſſe doctrinam*: hanc
à Luthero, & à Lutheranis duobus doceri. *Ibid.*
Quæ ſententiæ hic conſpiratio? quæ conſtan-
tia? *Octauò.* Paucula igitur ad extremum, iſta
in deſperatione notabo. Primum eſt, Lutherũ

ſanè non iis modo locis, quorum indicium
facit Rhetor, ſed & in aliis etiam pluribus, eã-
dem tradere blaſphemiam: & quidem mul-
àp.227. to copioſius, audaciùs, facinoroſiùs: præſer-
213. tim verò in Pſalmum XXI. Tomo Latino Ie-
nenſi 2. Tomo Germanico Wittenbergico 3.
59. in ſermonibus de charitate Tomo 6. Germ. in
Lat. ed. iſl. Sympoſiacis Latinis, & Germanicis. II. Alias
to. 2. fol. 131. etiã blaſphemias, quæ ex vna iſta aptæ, nexæq;
b. Germ. fol. ſunt, aggerare ibidem nõ paucas, v.c. ex ſum-
290. ma iſta CHRISTI Domini perturbatione,
Vide Anat. diffidẽtia, & pœnè cõſummata deſperatione,
Luth. par. 2. hominum redemptionem pendere: hanc eſſe
azoara 2. ipſius CHRISTI Domini deſcẽſum ad inferos:
etr. 19. & ſeq. per hanc eundẽ Dominum reuera inferni cru-
ciatus ac ſupplicia pertuliſſe, Deum ſæuũ, in-
exorabilem, & implacabilem exiſtimaſſe, ita vt
ex eo Diabolum ſibi ipſi faceret. III. Duobus
à Rhetore laudatis Lutheranis alios adiungi
duos poſſe, Melãchthonem in locis, Brẽtium
homilia LXV. in Lucam. IV. Nihilominus tamẽ
inſanæ huius blaſphemiæ impietatem Calui-
no potius quam Luthero aſcribi ſolere: quia
eam ille Latinâ ſuâ linguâ fecit ilicò pluribus
cognitã, ordinatiore loco ac methodo tradi-
dit, callidiore aſtutia expoſuit, pertinaciore cõ-
ſtantia retinuit, vehementiori apud ſuos ſtu-
dio vrſit, altiuſquè in horum animis defixit, vt
multo plures, multoq; perfrictiore fronte illã
vbiq;, in paruulis etiam Catechiſmis, auderẽt
Calui-

Caluiniani, quam Lutherani eructare. Solent enim hæreſeon nõnullæ iis maximè tribui au-ctoribus, à quibus, etſi nõ omnium primò inuentæ, magis tamen ſparſæ, roboratæ, & propagatæ ſunt: vt de Ariana etiam hæreſi aiunt nonnulli. ab iis verò etiam remoueri, qui etſi eas habuerunt, litteriſque mandarunt, ſuis tamen eas minus perſuaſerunt, prout in Donati de SS. Trinitate errorem *Donatiſtarum multitudo intenta non fuit*, inquit S. Auguſtinus. Ideoq; Lutheranum Rhetorem in hac quidem fœtidiſſimo blaſphemiæ vomitu *Caluinizare* potius quam Lutherizare aiebam. Nunc quia hoc etiam profligatiſſimæ impietatis dedecus ſuo aſſertũ Luthero, & ad alia tam multa tãq; deteſtabilia agglutinatũ vult, ſit ſanè ita. Decet enim Satanæ auditorẽ ab nulla vel maxima in Deum abhorrere contumelia. Eodemq; modo, ac iure non admodum diſpari poterit Lutherum Rhetor veriſſime Anabaptiſticarum, Trinitariarum, & aliarum, quæ poſt eum extiterunt, pœnè omnium, hæreſeon exſuſcitatorẽ, doctorem, parentemq; aſſeuerare. Ex eius enim vaniſſimis audaciſſimis, & omnem ad impietatem proiectis, omnẽ in errorẽ nutantibus: hæreſeſq; aut modo iſtas, modo illas aut veteres refodientibus, aut nouas extrudentibus libris ac ſermonibus quot & quã diſſectæ, inter ipſos etiam Lutheranos, ſectæ? V. Abeſt quidẽ, poſtquã Marpurgenſem ſuam

Teſtis in Germania etiã editus Catechiſmus Palatinatus anno 1581. in artic. Deſcendit ad inferos.

Soarez lib. 2. de Trinit. cap. 3.

Hæreſ. 69.

cathedram Caluiniſtis cedere. Gieſſamq; cō-
migrare debuit; Lutheranus *Winckelmannus*
à nobis non multorum miliarium itinere: i-
pſius tamen, in quibus Catholica eum refuta-
119. re argumenta refutare ait Rhetor: *Meditationes*
adhuc non vidi, ſicuti nec Baazi de Luthero
λεξίδιον: ex illarum tamen, quod recitaſti fruſtu-
lo, quantam eæ vanitatem (veritatem volebã,
ac pietatem dicere) ſpirent, vel ex hoc vno
colligere licet axiomate: Hanc magnam paſ-
ſionis CHRISTI partem negant Ieſuitæ, tri-
buentes CHRISTO animam prorſus quietam.
O Lutherani, Lutherani Theologi, non vide-
tis, quantam CHRISTO Domino iniuriam,
labemque infertis! quàm facilem ac mollem
ad Lutheranorum veſtrorum animas nouis
Arianis, Socinianis, Mahometanis, ipſiq; An-
tichriſto viam ſternatis? Nimis quam verè
4. Reg. 19. 3. nunc Ezechias: *Dies tribulationis, & increpatio-
nis, & blaſphemiæ dies iſte.* Sed reſpice Domine in
faciem CHRISTI tui, & itera dum tuum illud:
Noli timere à facie ſermonum, quos audiſti, quibus
v. 6. *blaſphemauerunt pueri Regis Aſſyriorum me.* Verè
Aſſyriorum Rex noſtra in Germania Luthe-
rus: eius pueri, Melanchthones, Brentij, Sel-
necceri, Winckelmãni, Balduini, Ioſimonij.
Omnes hi templum Domini, Hieroſolymã-
que ſanctam funditus euertere cupiunt. om-
Syrach p. nes impuris blaſphemiſque faucibus CHRI-
145. STVM Domini blaſphemant. Omnes illud,
quod

quod ipſum *Sennacherib* nomen vt apud Bahalem *Haruch* eſt; ſignificat, ſatagunt, id eſt, contentiones ac lites meditantur, loquuntur ac docent.

TERTIÆ PARTIS LOGI.

CAPVT XX.

Logorum reſiduorum aliqui.

I. Rhetori ægrè eſt, quod meum *remiſſi Theoſdoti* libellum Sereniſſimo Saxoniæ Duci dedicarim. quia *eius familia Lutheranæ doctrinæ præcipua ſemper columna eſt.* Nimirum putarunt boni à Luthero circumſcripti Principes obſequium ſe Deo præſtare. Ne autem circumſcribantur diutius, omnes qui eos, vti par; amant & colunt, elaborare conuenit. In his meum libens profiteor nomen. Et quibus, quámue ob cauſam, noſtri olim Athenagoræ, Iuſtini, Tertulliani ſuas inſcripſere Apologias, libros, Orationes? 141. 142.

I I. Certè nobiliſſima hæc familia Lutheranæ doctrinæ ante natum Lutherum columna non fuit. Aut igitur eam familiam valde nouam facit Rhetor: aut ludos dat, cum *ſemper* Lutheranæ familiæ columnam fuiſſe ſcribit.

I I I. An quos ex iſta familia, ſua in Præfatione laudat Rhetor, magna contra Huſſitas

 fulmi-

fulmina *Friderici bellicoſi*, *Friderici placidi*, alij, fuere omnes Lutherani? An & Lutheranæ doctrinæ columna tum fuit, quando, vt Lutherani qui *Crellij*, Saxonici nuper Cancellarij, ſuppliciũ ac funus libellis ſuis proſecuti ſunt, referunt Prædicantes; ad Principis ſui pedes, tot Lutherici, ſuis cum gregibus, acciderunt Paſtores, Lutheriſmumque retineri poſtularunt?

IV. *Sereniſſimum* & *magnum*, ac *præpotentem Imperij ſeptemvirum* vocaui ipſum Saxo-
141. niæ Ducem. *Non autem verè*, inquit Rhetor. *iſta ſcribi à Presbytero, tam certum eſt, quam quod certiſſimum.* Si adeo certum eſt, me hoc verè non ſcribere, falſum ergo eſt. ſicque cui te maximè probatum cupis, negas *ſereniſſimum magnum* ac *præpotentem*. *Verè*, inquiens, oppono non *falſo*, ſed *ficto*. Et vnde tibi, Rhetor, tam emiſſitij & perſpicaces oculi, vt cordis mei arcana videas? vt certiſſimum dicere audeas, quod prudens quilibet intelligit, longè incertiſſimum?

V. Ego autem non verè tantum, ſed ſyncere, libenter, & ex animi ſententia *ſereniſſimum, magnum* ac *præpotentem* dixi. & dico iterum. An vos Lutherani Conſtantinopolitanum Patriarcham veſtris à dogmatibus vel maximè, vt eius docuit Reſponſio; abhorrentem, appellare potuiſtis *ſanctiſſimũ*, & ego Saxoniæ Ducẽ *ſereniſſimum, magnum*, ac *præpotẽtem* dicere non potero?

potero? Potuit Lutheranus Tubingę Theologus *Gerlachius*, Sultani Turcici venerabundè veſtem exoſculari, & ego iuſtis debitiſq; ſuis titulis Principē ſacro in Imperio nobiliſſimū, Cæſareę Maieſtati chariſſimum, noſtris etiam Reuerendiſſimis & Illuſtriſſimis Moguntinis magnâ pridem amicitia coniunctiſſimum nō potero afficere?

VI. Mea in præfatiuncula dixeram Principis eiuſdem Saxonici hodierni auum fuiſſe annis abhinc XXIV. hoc in Collegium beneuolum & beneficum. *Hoc*, ait Rhetor, *verum eſſe, mihi nullo modo videtur.* Mirus logorum artifex. 143.
Falſiſſima cum dicit, tam ait *certa quam certiſſima.* cum veriſſima dico ego, falſa iudicat. Beneficentiæ verò illius ſunt hic adhuc non auriti tantum ſed & oculati teſtes. nec dubito, quin Saxonica in aula ſuperſint ſimiliter aliqui. Certè acceptorum & expenſorum Codices inſpici, Quæſtoreſque ac Rationarij, ſi qui adhuc viui; poſſunt interrogari. An tuo alios pede metiris omnes, vt coram tanto Principe, in re tam recenti, & quæ aut rationum tabulis, aut viuis adhuc Ratiocinatoribus ac teſtibus refutari poſſit, mentiri velle ſuſpiceris? Domi certe, tuoque ex pectore & factis, tua hæc tibi naſcitur ſuſpicio: ſicuti & illa, quæ multo patet latiùs: *Mihi* 144.
hoc perſuaſiſſimum eſt, nullam in vllo Ieſuita, ne micam quidem candoris & ſynceritatis ineſſe.

VII. At idem Princeps Societatis IESV
142. homines *in edicto pro recipiendis exulibus Stiriis & Carinthiis, anno Dom. 4. Febr. 1603. edito. impuriſſimæ ſuperſtitionis patronos, peſtiferos tranquillitatis publicæ turbatores appellat.* Ita bono Principi perſuaſerunt, vel qui nos propiùs haud norunt, vel ſi norunt, malignè calumniantur. Scimus quid ab Amane circumuentus in pios ac innocentes Iudæos aliquando ſtatuerit, & de iis ſcripſerit Aſſuerus. *Indicauit*, ait, *mihi* Aman, *in toto Orbe terrarum populum eſſe diſperſum, qui nouis vteretur legibus, & contra omnium gentium conſuetudinem faciens, Regum iuſſa contemneret, & vniuerſarum concordiam nationum ſua diſſenſione violaret.* Scimus rurſum explorata certiùs veritate, quid libertatis, honoris, bonorũq; omniũ piis ac innocẽtibus iiſdẽ Rex idem reſtituerit, & quid de priorum illorum decretorum auctoribus reſcripſerit: *In tantum*, ait, *veſaniæ proruperunt, vt eos qui credita ſibi officia diligenter obſeruant, & ita cuncta agunt, vt omnium laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conẽtur ſubuertere, dum aures Principum ſimplices, & ex natura ſua alios æſtimantes, callida fraude decipiunt.* O Galliæ Sol, quàm omnes omnium id genus calumniarũ, tenebras ſplendidiſſimis atque Chriſtianiſſimis verborum, factorumque tuorum radiis ab ima hac Societate IESV depellis ac diſſipas?

Eſth. c. 13. 4.

Sic in Ratiſbon. comitiis nuper.

Ibid. c. 16. 5.

Suprà c. 14.

VIII. Non minor aut miſericordia eſt, aut clemen-

clementia eos, qui falſis propter veritatem, a-
uitamque religionem premuntur calumniis *Euripides*
alleuare; quam hoſpitio illos excipere, qui ne *in Auge.*
ad ſacroſanctam maiorum fidem ac pietatem *Stob ſ. 44.*
ſuis à Principibus ac Paſtoribus amantiſſimè moniti ac rogati redeant, in alias ſuapte ipſorum ſponte terras, ſuis cum facultatibus & bonis, demigrant. Non omnes, qui Euangelij cauſa exulare ſe aiunt, Christi exules ſunt. Suis in epiſtolis pulcherrimum hunc, nobiliſ-
ſimumque libenter vſurpabat & præſcribe- *apud Epiph.*
bat titulum impius Arius Ἄρειος ὁ διωχθεὶς ὑπὸ *hæreſin. 69.*
Ἀλεξάνδρου Πάπα ἀδίκως διὰ τὴν πάντα νικῶσαν ἀλήθειαν.
Et quid cum Baſileam è Belgio venit mon- *Acad. Baſil.*
ſtrum illud impietatis, qui ſe Christvm i- *in lib. de eſto*
pſum prædicauit, *Dauid Georgius*? Quid Cal- *Georgio.*
uiniſtæ, qui, magno cum Lutheranorum ciuium dolore, *Francofurtum* tam multi, tam ſpecioſa cum Euangelij larua intromiſſi?

IX. *Satis*, ait Rhetor, *admirari Ieſuitam Lu-* 143.
therani non poſſumus, quod cum in omnium Principum ac Magnatum Lutheranorum caput & vitam iurauerit, eiuſque ſceleris nomine, ſe ſuo Prouinciali obnoxium fecerit, ſub conſpectum tamen huius Principis prodeat. Conuiciorum criminationumque iſtarum grauitas non immerito hanc manſuetiſſimo etiam patientiſſimoq; Iob extorqueat vocem: Mentiris Rhetor, mentiris; & quoad iſta tam grauia verè ſolideque, vel coram hoc ipſo Sereniſſimo Saxonico Principe vera pro-

baris:mendacem & calumniatorem te,coram mūdo toto,aio,aſſeuero perſeuero. Sed de his iterum poſtea. Te autem cum tu:s tantopere mirari, miror equidem ipſe non parum. An Illuſtriſſimus Saxoniæ Dux, veſtro iudicio,tā inhumanus & immanis eſt, vt ad magnæ vtilis, communiſq; cauſæ alicuius cognitionem demiſsè rogari & obſecrari ſe non ferat? An veſtro item iudicio tam imprudens & ſtupidus eſt, vt illiuſmodi cauſam,ſi demiſsè rogatus & obſecratus velit;cognoſcere non poſſit? Qui de tanto Imperij Principe veſtri iſti ſenſus? qui Rhetorici logi? Longe de illo meliora & laudatiora ego. Veterum apud Iudæos ſapientum ſententia eſt, quam Hebræus

fol. 40.*col.*1. in Pſalmum XXI. notat *Midras: Miththoch cahas ratſon, vmiththoch ephelah orah, vmiththoch rogez rechamim,vmiththoch tſarah ruchah, vmiththoch rechok cerubah, vmiththoch nephelah kimah*; id eſt, *E medio indignationis,beneuolentia eſt: & è medio caliginis, lux: & è medio fremitus,miſericordia: & è medio aduerſitatis reſpiratio: & è medio diſiunctionis ac diſtantiæ, propinquatio: & è medio caſus ac mortis reſurrectio.*

*p.*141. X. *Calumnia magnis, & bonis aſperſa* à Serario. Hos autem magnos nominat tres Lutherum, Rectorem Roſtochienſem,& ſe. De Luthero reſpondeo, *calumniam* haud vnquam exiſtimari,quando criminis alicuius verè accuſatur aliquis,& ita quidem, vt illud non ſimpliciter

dicatur,

dicatur, ſed grauiter etiam, ſolideq; probetur: & probetur ſi non ad eius qui accuſatur, ad aliorum certè vtilitatem, communeque bonum. Sic igitur ego Lutherum dico Diaboli noctu diſputantis auditorem fuiſſe: dogmatibus, quæ ille diſſeruit, & quam in partem ille concluſit, aſſenſiſſe, ipſa ſuſcepiſſe, deincepsq; alios docuiſſe. Neq; hoc dico tãtùm, ſed argumẽtis ac teſtimoniis plurimis, optimis, clariſſimis planũ facio. Num ergo calumnior? Nũ quando hoc, quod probo ac demonſtro, aliis & aliis verbis identidem effero, conuicior?

XI. De Roſtochienſi Rectore nihil ſcripſi amplius, quam Rhetoris Orationem *Theoſdoton* tantopere laudaturum non fuiſſe, ſi aut eam, priuſquam recitaretur, legiſſet, aut non meliorem putaſſet. Quæ magno viro aſperſa hic à me calumnia? Et tamen hic ipſe Rector eſt, qui vt ſuum valde laudaret Oratorẽ, de me ſcripſerat: *Proſiluit non ita pridem ex Magũtiacis latebris barbarus quidam, & obſcurus Eſauita. ellum confidens, catus, vt videretur quantiuis precij. Is totus, quantus, quantus, ex meris & impuris mendaciis atque calumniis conſutus.* Et poſtea, me *nebulonem*, & *diabolum* appellat. Obſecro, æque Lector, non poterã meritò retaliare? Nõ poterã Iuriſconſultũ ad ciuile de iniuriis, famoſiſq; libellis ius vocare? non conqueri, cũ magno cũ Academiæ, cui paucis ab hinc annis præſedeꝛat, decoriſq; ac lucis plurimũ attulerat Illuſtr.

Th. rem. c. 5. p. 16.

In Programmate Theoſdoti.

Anno 1592. Da. Chpl. l. 29. Germ. f. 600.

GVILIEL-

GVILIELMVS Curlandiæ Princeps,dedecore ac infamia, dum voces plebeio etiam homine vulgarique ſcurra indignas; Rectorali ſigillo ac manu obſignaret; auctoritate Academica turpiſſime abuſum? Clamaſſet profectò è vetere Comœdia non Lycus tantum, ſed & Mitio:

Pœnul. *Ego male loquendi vobis,neſciui viam.*
Nunc vos mihi amnes eſtis,vos certum eſt ſequi
Si benedicetis,veſtrâ ripâ,vos ſequar,
Si maledicetis,veſtro gradiar limite:

D. Aug. in Pſal.36. At diſſimulaui omnia,maledicenti non maledixi.nihil iſtorum commemini omnium. nec
141. verò commeminiſſem iam niſi falsò &ineptè,
148. me *magnis viris aſpergere calumnias, bonorumque virorum abuti nomine* nugaretur Rhetor.

XII. In ſe autem ne vnum quidem, quod aut petulanter ac maledicè, aut imprudenter & acerbè iecerim, conuicium proferre potuit Rhetor. At quot & quantis,bone Deus,miſellum me maledictis,conuiciis, contumeliiſque onerarat & proſciderat? Quot & quantis etiamnum in ſuo iſto *Apologetico* proſcin-

In toto Theoſ & apol. dit & onerat? Ipſi ego *Eſauita* ſum,*Papiſtoturcicus Ieſuita, propudium è Ieſuitica gente, monſtrum hominis, excrementum paludis Stygiæ, homo peſſimus, totus ex fraude & mendaciis factus, excrementum paludis ſtygiæ, hæreticus,hæreſiarcha,Regũ parricida,Gorgonis ſoboles, Turcicus Ieſuita, Cacolycus Ieſuita,ſcurra,lerna, vitæ Regum & Magnatum ſicarius,*

carius, Teucris Moguntina, Polyphemus Moguntiacus, Cacus Moguntiacus: Et quid non? Ego autem de re ipſa cum ipſo egi, & ne minimum quidem repoſui maledictũ. Quorſum enim? *Dementia eſt*, inquit Seneca, *vereri ne infameris ab infamibus*. Et cum modeſtè ipſum, ne tam multis & ſcurrilibus in me ac meos ſcurraretur, monuiſſé, vnũ hoc modo reſponſum dat, *ficum dixi ficum, ſcapham ſcapham*: & ſolens ſcurrari pergit. ſic, vt prima ipſius Apologetici pagina primuſque verſus *Polyphemum* ſtatim & *Cacum Moguntiacum* reſonet. epiſt. 92. 144. p 4.

XIII. Quæ de ſe tamen iniquo ferat animo, ſunt aliqua; ex quibus eſt; *Rhetorem* ſe vocari. *Hoc*, inquit, *quem minimè agnoſco, titulo ad meam contumeliam, in me appellando, Presbyter abutitur*. Imò *vtitur*, non *abutitur*. niſi ſi admodũ, quod malo; Ciceronianè loquatur. Apud Ciceronem enim, imò & S. Hieronymum, alioſque auctores *abuti*, quandoque *vti* valet. Nam *Rhetorem* vocaui, & etiamnum voco, quia vt indicaui iam alias; cum adeo indocta, maledica, contumelioſa, & verbo vno, nil niſi Logos ſcribat, ipſius nomen reticeo, & honori conſulo. Quia tamen aliqua nota, quis quid dicat, indicandum; honeſto eum *Rhetoris* titulo indico. quem ego titulum non ab alio quam ab ipſomet didici. Cum enim illum, qui eſſet homo, neſcirem, neque noſſem, neque natus necne is fuiſſet, id ſolidè ſcirem; ſuæ ſeipſum oratio- *Cic. In Iſ. 56. Bell. l. 2. de Man. c. 9. lib. de Apoſt. in S. Mat-thia. Th. r. e. 14. p. 59.*

torem vocari poſſe, quâ à Cœlio vocatus fuerit Plotius. Requirebat huiuſcemodi quid cõparatio, qua eum eo, quem *præſtantiſſimum & Cl. Theologum* appellat, Superintendente Olſnicẽſi, principe Lutheri patrono comparabatur. Dicendũ enim erat ſignificanter & aptè, quod res monſtrat, neq; ipſe audet inficiari; eum illo eſſe illiteratiorem, & in tota hac eloquendi & diſſerendi accuratiùs palæſtra rudiorem. Quid ſi *hordearium* cum Plinio *gladiatorẽ* dixiſſem? Quid ſi metaphorâ quapiam *prunum hordearium*? Aliqua forte querendi iuſtior fuiſſet occaſio. cui occurriſſet, qui quod in eodem auctore additur, addidiſſet: *Alia* ſunt pruna *eodem colore, ſeriora, maioraque, aſinina cognominata à vilitate.* 94. 96. 97. *l.18.c.17.* *l.15.c.13.*

XV. Ne Caluinizare dicatur, pugnat iterum. *Non ſum is*, ait, *mi Serari, quem me eſſe putas. Lutheranum me eſſe nouit hæc Academia.* Sed reſponſum iam ſuprà capit. 19. Nam & Caluinizat, & Lutherizat. Videat S. Auguſtinum lib. de Paſtoribus c XII. à me in eius, à quo me allatrandi fecit initium; libelli extremo citatum. 149. *In Luthero Turc.*

XVI. Vt autem quis, qualis, & quantus ſit, norim melius; adiungit ſe duplici iam legatione functum *ad Generoſiſſimũ & Illuſtrem Dominum Philippum Ludouicum Comitem in Hanavv & Reineck, Dominũ Muncenburga* Hanouienſem. *Ibid.* *Num.13.*

Hoc

Hoc ſanè adhuc neſciui. & niſi, vt antea dixi; breuitas in iterando toties tuo titulo eſſet adhibenda, non *Rhetor* tantùm, ſed & *ſecundum Legatus* à me vocareris. Faciam tamen vt in libelli huius mei fronte non minuſculum modo, ſed & longum iſtud, ad quod facto & Trin. viatico, vt ait ille, opus, præſcribatur honoris tui vocabulum. quamquam, vt tecum, qui nullo modo Caluinianus, ſed Lutheranus dici vis, amicè querar; vereor vt hoc *Legati* nomen honorificum deinceps ſit. Caluinianus enim Legatus, ſua manu, in eius, quem infra mox nominabit ipſemet; Philopinacio, ſeu Amicorum albo, hâc, cum addita hypographe, Legati deſcriptionem ſcripſit.

Legatus eſt vir bonus, peregre miſſus ad mentiendum Reipublicæ causâ.

...Domino *Ioãni Fleckhamero in perpetuũ amicitiæ pignus, Henricus Wottonius Sereniſſimi Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Regis Orator primus ad Venetos. Auguſtæ Vindeliciæ* XVI. *Auguſti, anno Chriſtiano* CIↃ. Ↄ. CIV.

27. XVII. In re verò ipſa, præter tam multos, qui hactenus monſtrati, Logos, aliqui etiam inſignes in tuo illo capite tertio ſunt, vbi colloquiorum Dei & diaboli cum homine genera & finem proponis. Nam, niſi diſtinguas, aut teipſum explices melius, *primò* membra illa diuiſionis loquentis Dei ad homines aut vigilantes aut dormientes omnia ſub prioribus mem-

membris, quibus loquitur Deus aut ſine voce, aut viua cum voce continentur. *Deinde* in his ipſis membris collocas non pauca, quæ vel falſa vel dubia. verbi cauſâ, *Vrim & Thumim* *Lib. de Ioſ.* abſque voce vlla fuiſſe. vt alibi à me probatũ; *ſacerd. num.* Dauidi, & Symoni qui ſuas in vlnas CHRISTVM venerabundus accepit: loquutum in ſomnis Deum. itemque Sanctis illis hominibus, *2. Reg. 23. 8.* *quos teſtatur S. Petrus* ὑπὸ πνεύματος φερομένους *Luc. 2. 27.* *locutos, & S. Paulus, cum ſcripturam appellat* θεόπνευστον. *Tertio*, Diabolum cum ſpecie ſeu corpore *p. 29.* aſſumpto apparere, alligas ad vocalem illius *2. Petr. 1.* locutionem. quaſi non poſſet abſque voce ali- *2. Tim. 3. 16.* cui corporatus videri. Sic enim diuidis. Dia- *29.* bolus aut ſine voce loquitur, aut cum voce. & *30.* hac vel ſola, vel cum ſpecie ſeu corporibus. Sed facile patior, vt iſta ſi velis vel explanes meliùs, vel quoquo voles modo excuſes. Satis *p. 27.* enim apparet, te, quod fateris, rerum iſtarum minus intelligentem eſſe, *pinguique, quod dicitur, Minerua,* imò ſanè pinguiſſimâ, *eas explicare.* In Theologicis enim & Philoſophicis poſſet tibi de Hunnij, Kemnicij, Melanchthonis, Peuceri, aut ſimilis alicuius examinibus, lociſque communibus dicere Tullius, quod imperito illi Oratori Cecilio dicebat. *Si quid ex* *Diuin. in* *vetere aliqua oratione*, IOVEM EGO OPTIMVM MAXIMVM, *aut*, VELLEM, SI FIERI POTVISSET, IVDICES, *aut aliquid* *Verr.* *eiuſmodi ediſcere* (exſcribere) *potueris, præclarè te*

in iudicium Lutheri patrocinium)*venturum arbitraris.*

XVIII. In verbis porro vis logorum tanta, vt magnopere mirer Latiniorem in Academia Megapolitana Rhetorem nullum eſſe. Quàm enim Tulliana, vel etiam Latina ſunt *inconuincibilis, miſſa operanda, oculus lumine affulſus, pigmentarius* pro *pictore*, pluraque alia? quibus tamen ſuperſedeo libenter ne, cum in iſta *de Lutheri Magiſtro* pugna, pugnas de rebus ipſis pugnare conſultò vt ſupra monui; nolim alias, longe tamen profectò vtiliores; me poſthac oporteat cum Rhetore de verbis digladiari, nugaleſque illas inter *Vallam* & *Raudenſem, Maioragium* & *Nizolium* lites meas facere. præſertim cum ne in vno quidem *olere* verbo, quod in ſua *Theoſdoto* pro *olfacere* vſurpaſſet, ſe Latinè ac emendatè loquutum probare potuerit: ſed velut in calcaneo haberet cerebrū; illa quæ contra ipſum planiſſimè ſunt, pro ſe attulerit. In hoc enim Horat ano *Paſtillos Ruffinus olet, Gorgonius hircum* & in Ciceroniano hoc, *Olent illa ſupercilia malitiam.* num *olere* eſt *olfacere*? An *graueolens Auernus* apud Poetam eſt grauiter olfaciens? An Plinium dum *roſas olere* inquit; explicat in Roſtochiēſi AcademiaRoſtochiēſi Iuuentuti Roſtochienſis Rhetor, *olfacere*? vt ſententia ſit *Roſa, recens à longinquo olet* id eſt, olfacit: *ſicca propiùs* olet: id eſt, olfacit. Et poſtea. *Quædam cum virent, non olent propter humorem nimium.* id eſt, non olfaciunt. Pituita

In fronte Theoſd. edit. 2. p. 26. 47. 73. 13. 17.

Saty. 2.

pro Roſc.

Æn. 6.

lib. 21. c. 7.

nimirum & catarrho laborant! O bonorum auctorum Interpretem! O Latinum, *eruditiſſimumque Oratoriæ Profeſſorem!* Qui Caluiniſta nuper ex Hollandia de Heydelbergenſis Caluiniſtæ verbis dixit, *Nihil, quod magis merum rus oleat*, ſi tua hæc aut videre aut alicunde ſubodorari poſſet, de te Oratoriam eleganter ornateque dicendi artem profitente, Grammaticęque tamē leges ita pueriliter migrāte quid diceret? quam belle tuo cum *pigmentario* pigmentis te vlmeis pingeret? *Aliter* certe, inquit Prouerbium, *catuli, aliter ſues olent. Non bene ſemper olet, qui bene ſemper olet*, vt ait Martialis, & apud S. Hieronymum epiſtola ad Demetriadem, Arbiter. vbi *pueros calamiſtratos, & peregrini muris olentes pelliculas, quaſdam quaſi poſtes & venerea pudicitiæ à virgine deuitari præcipit.* *In progr. Ioſ. Scaliger de Pareo Elencho 1. pa. 63.*

XIX. Sed libellum iam iſtum claudat vnus, qui ſua vel importunitate vel alogia, perpaucis cedit, Logus. Inuitabam & obſecrabam Rhetorem Chriſtianè, placidè, amiceque, vt cognito Lutheri Magiſtro, illum deſereret, ad Eccleſiamque Catholicam ſeſe reciperet. At hoc non modo non facit, ſed & ſe obſecrari non patitur. *Noli*, ait, *quæſo, mihi tuis inuitationibus moleſtus eſſe.* Noui equidem à quodam dictum: *Nullum beneficium eſſe duco, quod cui facias, non placet.* Sed charitas CHRISTI, & erga eos omnes quos Satanæ diſcipulus & mancipium hoc decipit, miſericordia, vrget me. Iubet cha- *p. 151.* *Trin.*

ritas, vt etiamſi nolint, vinciamus phrenitic-
cos, vellicemus & fodicemus lethargicos, æ-
grorum etiam aliorum obſecremus quam-
plurimos, vt potionis aliquid ſumere, cibi per-
parum eſſe, inſculique glutire velint pauxil-
lulum. *Omnis* inquiunt Iudæorum Magiſtri,
*qui ſocio ſuo miſericordiam quærere ſeu præſtare po-
teſt, & non facit, peccator vocandus eſt.* Præclariſſi-
mè verò, & ad quærendos, iuuandos, à Lu-
theroque auocandos omnes accommodatiſ-
ſimè D. Hieronymus: *Fieri, ait, poteſt, vt qui hæreti-
co fuerant errore decepti, & auulſi a Domino, atque
lacerati, & horribiles ob blaſphemiam, fruſtraq́; mē-
dacia præſtolantes, & conculcati à dæmonibus, & à
fluuiis in partes varias diſſipati, cum recordati fue-
rint Dei ſui, &* MAGISTROS PESSIMOS *de-
reliquerint, offerant Domino munus exercituum, non
alibi niſi in monte Sion, & in ſpecula, quod interpre-
tatur* ECCLESIA. Te igitur, mi Rhetor, au-
debo adhuc monere, obſecrare, perq; Tuam,
& Tuorum tibi commiſſorum ſalutem, ob-
teſtari, vt omni depoſito priſtinorum erro-
rum præiudicio, remota omni pertinacia, o-
mni denique abiecta tergiuerſatione, agno-
ſcas germaniſſimum, quem argumenta &
indicia tot & tam clara demonſtrant; Lutheri
Magiſtrum Cacodæmona: expendas illud S.
Auguſtini, *Quemadmodum Deus genuit filium Ve-
ritatem, ita Diabolus genuit quaſi filium; Menda-
cium:* facias teipſum properè celerem, addas
gra-

Thal. tract. Beracoth c. 1. fol. 12. b.

In Iſai. c. 18.

Tract. 42. in Ioan.

gradum, approperes, teque referas ad veritatis *Magiſtramcuſtodem*, & propagatricem Sacroſanctam *Eccleſiam Catholicam*, priuſquã fiat, quod à Propheta dictum eſt *Diſperdet Dominus,* *Malach. 2. 12.* *qui fecerit hoc* (habuerit filiam Dei alieni) *magiſtrum & diſcipulum de tabernaculis Iacob.*

Gloria PATRI *&* FILIO, *&* SPIRITVI
Sancto ſicut erat in principio & nunc, &
ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Biblot. Secr. Coll. Rom.

Soc. Jesu

DE NOVO ET INAVDITO CALVINIANÆ THEOLOGIÆ, IN MARPVRGENSI ACADEMIA PROFESSORIS, Raphaëlis Eglini Iconij.

QVOAD SACRAM CHRISTI DOMINI Paſſionem, & Reſurrectionem, paradoxo.

CAPVT I.

Noui de octiduano CHRISTI *Domini carcere paradoxi ortus.*

NOuitatis mater ſuperbia eſt. Volunt enim vt ait libr. 1. contra Apionem Ioſephus, nõnulli διὰ τοῦ κενολογεῖν μνήμης ἀξιωθήσεσθαι. ideoque *tamdiu*, ait S. Hieronymus in Iſaiæ c. 5. *quærunt hæretici noua veteribus iungere*; *& eadem recentioribus immutare, donec & ſenſus humanus & ſermo deficiant.* Ecce tibi, ad tot infelicis huius ſeculi noua, nouum noui, in noua Theologia, Theologi delirium, ſeu, vt nouator ipſe mauult vocare, PROBLEMA PASCHALE. Docet is CHRISTVM *Dominum, octidui ſpatio, antequam reſurrexit, captum fuiſſe.* ac à Iudæis in carcere ac vinculis detentum: poſtea vero tandem crucifixum, reſurrexiſſe.

CAPVT II.

Paradoxi eiuſdem encomia.

IN iſto igitur Paſchali Marpurgenſis Profeſſoris problemate notanda octo hæc.

I. Eſt, *incredibile nouitatis cacoëthes*, dum in tanti momenti re nouam adeo, & quidem, vt infrà patebit, abſq; ratione vllâ; comminiſci audet ſententiam Theologus. Quid comminiſci? typis etiam, huc illuc, longè lateq; ſpargere. Caſſiodorus lib. 1. inſtit. diuin. lect. cap. 11. *Sunt*, ait, *nonnulli, qui putant eſſe laudabile, ſi quid contra antiquos ſapiant: & aliquid noui, vnde periti videantur, inueniã.*

II. *Arrogantia inſignis ac ſuperbia.* dum ſuum hoc nouum delirium fateri ac præſcribere audet ſic: *contra communem*: nimium Eccleſiæ Catholicæ aliarumq; Eccleſiarum omnium, quæ in Germaniâ & alibi ſunt, ſiue illæ Lutheranæ, ſiue Caluinianæ, Anabaptiſticæ, ac Schwenkfeldianæ ſint; *ſententiam*.

III. *Inſcitia Dialectica*, dum PROBLEMA inſcribit: cuius Apodixin tamen afferre ſe putat: vel certe *Geometrica ignorantia* & abuſio, dum Euclidéo in re Theologicâ perineptè abutitur *problematis* vocabulo. Cur enim *problema* potius quam *Theorema* ſit? imo cur non *Theorema* potius? Vide Topic. 1. Ariſtotelem, Proclum in Euclidem.

IV. *Summa & odioſiſſima eius*, quod dicit, *obſcuritas*: ſic, vt nec Profeſſores quidem Academiæ illius, in qua hæc iſte effutiit, doctiſſimi ſe intelligere dicant, quo nitatur Nouator hic argumento, & tamen ex Antiſtœchioſi ſua *id per ſe cuiuis vel mediocriter attẽto manifeſtũ* ait

V. *Luculentiſſima vecordia*, dum APODEIXIN vocat, & quidem, *quæ ἀναμφισβητήτως concludat*, cum ad inſtitutum tamen probandum ne probabilis quidem ſyllogiſmus ſit, vixque pſeudographus, vti iamiam patebit. Sed nimirũ tales in ſuis contra Archimedem, Geometraſque vetuſtiſſimos & doctiſſimos aliios, Cyclometricis apodixes Caluinianus hiſce aliquot annis edidit *Ioſephus Scaliger:* Tales & cõtra Sanctos, veteresque Patres, adeoque cõtra Eccleſiam Catholicam totam ipſemet *Caluinus*, dum præfationi in Apoſtolorum Acta, poſt multa ſcurriliaque in illam conuitia, non veretur obiicere: *Nulla certior, vel magis dilucida, neque ab Euclide, neq; ab Archimede afferri demonſtratio poteſt, quam ſi Eccleſiæ, qualis à Luca deſcribitur, cum Synagoga Papali fiat cõparatio.*

VI *Perinepta* PROTHEORIA, dum ea tota cõceſſa, nihil tamẽ quod ad rhombũ ſit, colligitur: vti paulo poſt planum fiet.

VII. *Perineptum ſimiliter ad eãdem Apodixin* DIAGRAMMA, dum in eo ἀντιςοιχείωσιν facit & vocat, quæ συςοιχείωσις potius eſt.

VIII. *Ridicula* deniq; & *audax concluſio*, ridiculumq; item & audax PORISMA.

Monſtrantur autem omnia hæc: ſed poſtrema quatuor præſertim, è quibus vel cũ quibus apta nexaq; alia.

CAPVT III.

Sextum paradoxi monſtratur encomium.

PROTHEORIA Theologi huius eſt hæc, *Chriſtum Dominum, eodem cum Iudæis die Paſcha, ex Legis præſcripto, ediſſe.* Cõcedatur hoc totum. Etſi enim de hoc inter minime

nime proletarios Auctores diſputatio eſt, vt videat tamen nouator, quam abs re ſit ſua hæc Protheoria, cum ex ea nequaquam quod vult, concludatur; eam, vt dixi, totam concedamus.

CAPVT IV.

Septimum paradoxi monſtratur encomium.

DIAGRAMMA nouatoris, ſic habet:

DIAGRAMMA.

Triduanæ Antiſtoecheioſeos.

DOMINVS N. I. CHRISTVS.

IN veſperâ Agni Paſchalis, poſt celebrationẽ Cœnæ Dominicæ noctu in horto captus eſt.	I.	*IN Paraſceuâ Paſchatis crucifixus, mortuus & ſepultus eſt.*
Mane inſequenti Pilato à Principibus Sacerdotum traditus, accuſatus, ad Herodem miſſus ac remiſſus: tãdem condemnatus: crucifixus, mortuus & ſepultus eſt; excommuni modernorum ſententia, eodem die.	II.	*Toto die feſto Sabbathi magni quieuit in ſepulchro: teſte totâ Euangelica veritate.*
Poſt mortem in ſepulchro per integrum diem Sabbathi quieuit.	III.	*In prima Sabbathorum, ſiue Hebdomadis, ante lucem reſurrexit.*

AT non Ἀντιστοιχείωσιν hic eſſe, ſed συστοιχείωσιν, hinc apparet, quòd omnia & ſingula membra rectè ordineq; iungantur, iſto modo.

I. In veſperâ Agni Paſchalis, poſt celebrationem Cœnæ Dominicæ noctu in horto captus eſt. Dominus noſter IESVS Chriſtus.

II. In Paraſceue Paſchatis crucifixus, mortuus & ſepultus eſt.

III. Manè inſequenti, Pilato à Principibus Sacerdotum traditus, accuſatus, ad Herodem miſſus ac remiſſus: tandem condemnatus: crucifixus, mortuus & ſepultus eſt.

IV. Toto die feſto Sabbathi magni quieuit in ſepulchro: teſte totâ Euangelicâ veritate.

V. Poſt mortem in ſepulchro per integrum diem Sabbathi quieuit.

VI. In primâ Sabbathorum, ſiue Hebdomadis, ante lucem reſurrexit.

Quæ hic, obſecro, ἀντιστοιχείωσις? quæ repugnantia? nonne ſumma, in narratione tota, conſenſio eſt?

CAPVT V.

Paradoxi quintum oſtenditur encomium.

APODEIXIS eius nunc, iſtiuſmodi eſt:

AVt vni eidemq; triduano ſpatio vtriuſq; lateris in Diagrammate oppoſita membra ſimul conuenire, & quidem ad priorem ſolennitatem primi diei Azymorum, qui eſt XV. menſis Niſan, in cuius veſperâ ante Chriſtus fuit captus, ſimul ambo referri: aut neceſſariò alterum oppoſitorum membrorum capti-

captiuitatem inchoans . ad priorem ſolennitatem primi diei Azymorum, alterum verò crucifixionem continens, ad poſteriorem, hoc eſt vltimi diei Azymorum referri: ſiquidem nullus alius dies feſtus, inter primum & vltimum ſeptenorum dierum Azymorum ſolennis intercedere poteſt: niſi toti Scripturæ ex diametro repugnare, & ita Chriſtum alio die feſto magno, quam à Moſe præſcripto contra impletionem Legis ad abolendam vmbrã Paſchatis Legalis in ſepulchro quieuiſſe, in gratiam Iudæorum nefariè (quod abſit) ſtatuere velimus concederéue.

Atqui vni & eidẽ triduano ſpatio vtriuſq; lateris in DIAGRAMMATE *oppoſita membra ſimul conuenire, &c.* ἀδύνατον: *Quod ex Antiphatica Antiſtœcheioſi per ſe cuiuis vel mediocriter attento manifeſtum fit.*

Ergò neceſſe eſt, vt prius oppoſitorum membrorum, captiuitatem Chriſti inchoans, ad priorem ſolennitatem primi diei Azymorum, poſterius verò crucifixionem continens, ad poſteriorem, hoc eſt vltimi diei Azymorum, referatur.

Reſponſio dupliciter I. In *Maiore* falsò dicuntur *oppoſita membra*, quæ in Diagrammate poſita ſunt: *primo*, quia omnia interſe conſonant & communem ſententiam proponunt, vti iam oſtenſum, & ſæpe ſunt eadem vt membrum II. & III. IV. & V. *Secundo*, quia membra iſta, quæ dicuntur opponi, non habent eadem ſubiecta & prædicata: quod in oppoſitis tamen requiri norunt Logicorum pueri. *tertio.* Si vocet oppoſita, quæ è regione aliorum alia poſita ſunt; voce abutitur: cum à Philoſophis & Theologis aliter oppoſita vocentur:

Reſpondeo II. negando *minorem*; quia propriè conueniunt eidem triduo membra hæc omnia incipiendo à feriâ ſextâ quæ cœnam Dominicam proximè ſubſe-

cuta eſt; vſque ad ſubſecutum proximè diem Dominicum, quo reſurrexit Dominus qui fuit dies XVII. ipſius *Niſan.*

CAPVT VI.

Paradoxi octauum patefit encomium.

VBi ergo & quâ tandem ratione nouum ac ſuperbum illud Caluiniani Marpurgēſis Theologi *per ſe*, vt loquitur; *effloreſcit* PORISMA? Chriſtum Dominum noſtrum octidui ſpatio antequam reſurrexit, captum fuiſſe? Pudeat hominem tantæ vt in Caluinianâ fide, ſic & demonſtratione iſtâ nouitatis, arrogantiæ, ac vanitatis.

CAPVT VII.

E deliratione tota vnicum pro ea extunditur, & ſoluitur argumentum.

VNum video, quod in Diagrammatis ſui membro ſecundo fingere poſſet Caluinianus; CHRISTVM ſcilicet *Dominum crucifixum fuiſſe Paraſceue Paſchatis*, vt ait S. Ioannes cap. 19. v. 14. At *Paraſceue* hæc eſſe debuit ante Paſcha, & non potuit fuiſſe ante diem XIV. vel XV. menſis Niſan, quando comeſus eſt Agnus, & Azymorum dies primus fuit. Ergo fuit ante Paſcha abſolutum, id eſt, fuit Paraſceue diei octaui Paſchatis, ſeu dies XXI. Niſan, cum octauus Paſchatis fuerit XXII.

Reſpondeo I. abſque tot Protheoriæ, Diagrammatis, & Antiſtœcheioſeos ambagibus; hoc vnum potuit proponere Theologus argumentum.

Reſpon-

Reſpondeo II. adhoc breuiter; *Paraſceuen Paſchatis* vocari eam, quæ in hebdomadem incidit Paſchalem. ſiue ſit ſecundo, ſiue tertio, ſiue quarto, aut quinto, ſextóue die poſt Paſcha, & Agni comeſtionem. Et huiuſcemodi *Paraſceue* reſpicit *Sabbathum*, totoque anno obſeruatur. Ideoque vel ſimpliciter *Paraſceue* in hac eadem paſſionis hiſtoria vel generatim *Paraſceue Iudæorum* ab ipſo S. Ioanne ac Euangeliſtis vocatur. Matthæi 27. v. 62. Marci 15. v. 42. Lucæ 23. v. 54. Ioannis 19. v. 31. & 42 Veteres ac nouos, quorum hic in re conſentiunt conſpirantque maximè interpretationes; citare liceret non paucos. ſed omnium inſtar vnus eſſe poteſt loco iam indicato S. Marcus. Clariſſimè ſiquidem ita loquitur: *Erat paraſceue, quod eſt ante ſabbathum.* Græcè, ἦν παράσκευὴ, ὅ ἐστι προσάββατον: Syriacè *Harubetha*, *dithelia*, *kedam ſchabbetha*. quod ad verbum vertitur, *Paraſceue, id eſt. ante ſabbathum.*

CAPVT VIII.

Ex octiduano CHRISTI *Domini carcere aliud de beatiſſima eiuſdem reſurrectione paradoxum.*

ADDO, cum omnia Theologi huius Protheorica, Antiſtœcheotica, Apodictica, & Poriſtica ſurſum deorſum verterit Lector; aliud tandem non inuenturum, quam *primò*, ex ſententia eius confici, CHRISTVM *Dominum non eſſe crucifixum feria VI. ſed V. neque reſurrexiſſe die Dominico*, ſed die Sabbathi. *Secundo*,

cam-

eamque ob cauſam, eundem Theologum ſibi ipſi repugnare, dum Sabbatho in ſepulchro ait quieuiſſe, & primâ Sabbathorum, ante lucem reſurrexiſſe. Si enim Paraſceue Paſchatis, qua, ſecundum S. Ioannem crucifixus eſt Dominus intelligi debet pridianus dies octauæ Paſchatis, vt vult Nouator; clarum eſt, Dominum IESVM octauo die poſtea quam captus fuerat, crucifixum fuiſſe, feria nimirum quinta, in ſepulchro quieuiſſe feria VI. reſurrexiſſe die tertio, id eſt, Sabbatho. Vide, ſis, Synopſin hanc.

MEN-

MENSIS NISAN

Secundum *Catholicam Antiquitatem.*	Secundum *Caluinianam Nouitatem.*
DIE XIV. ♃. Poſt cœnam in horto captus Dominus, & fuit *Paſcha Iudæorum.*	XIV. ♃. feria v. captus CHRISTVS Dominus.
XV. ♀. *Paraſceue Paſchatis*, & *prima dies Azymorum*. Condemnatus, crucifixus & ſepultus Dominus.	XV. feria VI.
XVI. ♄. *Sabbathum magnum* quieuit in ſepulchro. *Secũda dies Azymorum.*	XVI. Sabbath.
XVII. ☉. Reſurrexit Dominus. *tertia die Azymorum.*	XVII. ☉ — in vinculis detentus.
XVIII. ☽. *quarta dies Azymorũ.*	XVIII. ☽
XIX. ♂. *quinta dies Azymorũ.*	XIX. ♂
XX. ☿. *ſexta dies Azymorum.*	XX. ☿
XXI. ♃. *ſeptima dies Azymorũ.*	XXI. ♃
XXII. ♀. *octaua Paſchatis Iudæorum.*	XXII. ♀ — Paraſceue Paſchatis, qua crucifixus Dominus.
XXIII. ♄.	XXIII. ♄ — In ſepulchro quieuit.
XXIV. ☉. octaua Reſurrectionis Dominicę, quando apparuit Dominus Sancto Thomæ Apoſtolo Ioannis cap. 20. v. 26.	XXIV. ☉ — Reſurrexit.

CON-

CAPVT IX.

CONCLVSIO.

OMNIS ergo faceſſat nouitas. & pia retineatur Antiquitas, communiſque Chriſtianorum omnium ſenſus. Nouitatum in mundo plus ſatis. Ne committat Theologus, vt quod de Africa olim, hoc de Germaniâ noſtrâ, vel de Marpurgenſi Academiâ, quæ è Catholicâ olim, in Lutheranam, è Lutheranâ nuper in Caluinianam nouata & transformata eſt; verum ſit; *Semper aliquid noui.*

Errata corrige, ſic.

Pag. 16. ſe quam patr.
36 illamque, quam.
39 An non ab hinc.
50 ironiam dixit.
61. aperites longe.
73 ἀλήθειαν.
80 *ſecundùm Legatus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE